ANNVS SACER POETICVS,

SIVE


Selecta de Diuis Cælitibus

EPIGRAMMATA


IN SINGVLOS ANNI DIES TRIBVTA,

duobúsque Tomis partita.

A R. P. PETRO IVSTO SAVTEL, *è Soc.* IESV *lucubrata.*



IANVARIVS.	APRILIS.
FEBRVARIVS.	MAIVS.
MARTIVS.	IVNIVS.





PARISIIS,

Apud IOANNEM HENAVLT, Bibliopolam Iuratum, viâ Iacobæâ, sub signo Angeli Custodis.

M. DC. LXV.

Cum Priuilegio Regis Christianissimi.







ILLVSTRISSIMO, NOBILISSIMO, DOCTISSIMOQVE VIRO, D. LVDOVICO DE MACHAVT, IN MAIORI REGIS CONSILIO Præſidi Antiquiori.

PETRVS IVSTVS SAVTEL, è Societate IESV Salutem plurimam D. D. D.



PERCEPI, Præſes Ampliſsime, & non Themidis ſolùm, ſed & Muſarũ Myſtes digniſsime, percepi contra noſtrum morem, ac vulgarem Poëtarum conſuetudinem, quorum Laurus ſteriles & infrugiferæ vt plurimum damnantur, cumulatiſsimum laborum meorum fructum, & maximam, quam ex ijs optare poteram, mercedem, ſi tibi tanto, ac tam eximio Viro, ac in tanta dignitate conſtituto placere potui. Doctus aliàs cùm eſſem à noſtris hominibus, hoc eſt Poëtis, & alijs quibuſcumque venerandæ Antiquitatis Proceribus, judicium Vulgi contemnere, nec in turbam Carmina ſcribere, tua vnius, qui mihi inſtar omnium es, commendatio, ampliſsimum theatrum eſt. Et quòd



ILLVSTRISSIMO, NOBILISSIMO, DOCTISSIMOQVE VIRO, D. LVDOVICO DE MACHAVT, IN MAIORI REGIS CONSILIO Præsidi Antiquiori.

PETRVS IVSTVS SAVTEL, è Societate Iesv Salutem plurimam D. D. D.



PERCEPI, Præses Amplissime, & non Themidis solùm, sed & Musarũ Mystes dignissime, percepi contra nostrum morem, ac vulgarem Poëtarum consuetudinem, quorum Laurus steriles & infrugiferæ vt plurimum damnantur, cumulatissimum laborum meorum fructum, & maximam, quam ex ijs optare poteram, mercedem, si tibi tanto, ac tam eximio Viro, ac in tanta dignitate constituto placere potui. Doctus aliàs cùm essem à nostris hominibus, hoc est Poëtis, & alijs quibuscumque veneranda Antiquitatis Proceribus, judicium Vulgi contemnere, nec in turbam Carmina scribere, tua vnius, qui mihi instar omnium es, commendatio, amplissimum theatrum est. Et quòd

idipſum honorificentiſsimè teſtari volueris tuis illis omni ſale ac lepore conditis literis, augmentum profecto eſt honoris maximum, & cumulus dignitatis ampliſsimus. Suauiatus ſum non ſemel ſuauem illam & amantiſsimam Epiſtolam, & demiratus ſum in Sene veneres, luſûs, delicias, elegantiam, quam vel feruida ac juuenilis ætas vix ferre poſsit: Hendecaſyllabos ita amœnos, ita ſuaues, vt non alios ipſa Catulliana Euterpe dictare valeat. Quid vero de tua Tulippa dicam, quæ nullas vnquam hyemes paſſura eſt; quam ego dum contemplor, dumque lego, iterumq; relego, meæ ſimul roſæ, ac violæ non condolere non poſſum, quæ ſe à tuo flore longiſsimè relinqui ac ſuperari vident? Majeſtatem, vt hoc genus Carminis poſtulat, demiratus ſum, & cùm Te alibi ſuauiſsimum in Hendecaſyllabis repererim; intelligo quâ ipſe ſis ingenij dexteritate, & quàm ad omnes Poëtici numeri partes idoneus. Demum exigua tua opella, leuis quidem mole, ſed arte grauis in ſe vna complectitur

Quidquid habent Veneres venerum, Chariteſque leporum,
Quicquid Muſa ioci, quicquid Apollo ſalis;
Quodcumq; eſt artis, quodcumq; nitoris vbique,
Ingenij, ac genij quicquid vbique viget.

Gratulantur ſibi noſtræ Muſæ quòd ſuas lauros & ſua ſtudia non aſpernetur Illuſtriſsimus

Præses ac Dignissimus, cui Forum & Parnassus seruiat, & Poëtas simul & Litigantes habeat clientes. Neque enim tantùm es Poëtarum lumen ac columen, sed & afflictorum portus, qui tuam opem quotidie implorant ac sentiunt, & ad Te tanquam ad sacram anchoram confugiunt; cúmque te doctrina reddat spectabilem, tua Te virtus mirabilem toti Galliæ exhibet.

Qui scribenda facit, scribítve legenda, beatus
Ille, magis fœlix es, quòd vtrúmque facis.
Digna legi scribis, facis & dignissima scribi,
Scripta probant doctum te tua, facta probum.

Sed incorruptum Themidis Sacerdotem laudent alij, mearum esse partium videtur, Senectutem laudare literatam, ingeniosam ac totam Apollineam, & quandoquidem inter Poëtas locum ac nomen habere non dedignaris, habe quantum fieri potest etiam dignissimum inter Augustos ac Mœcenates Poëtarum fautores ac Patronos. Et certè mihi non incommodè accidit, vt hoc ipso tempore librum habeam præ manibus typis cudendum, quem si me hoc quoque honore dignari volueris, tuo Nomini consecrare velim, & lucem sub tuis auspicijs aspicere. Huic ego titulum feci, ANNVS SACER, *quod hîc Epigrammata scripserim de Diuis Cælitibus, qui per annum*

vno quoque die celebrantur, idque minimum erit meæ in Tuam Dominationem obseruantiæ monumentum; Vale ac in multos annos sospes ac felix viue.

Turnone primâ Aprilis 1661.





Illuſtriſſimo, Nobiliſſimoque viro,

D. LVDOVICO DE MACHAVT

in Maiori Regis Conſilio Præſidi

Antiquiori.



CCE tibi (Vir Illuſtriſſime) Annum Sacrum R. P. Iuſti Sautel non alio auſpicatiùs quàm tuo nomine dedicandum. Quem quidem quàm æquum ſit offerri Tibi, dubitare non poteſt qui aut eius erga te dum viueret obſeruantiam, aut ſupremam morientis voluntatem agnouit. Ego certè cui ante alios contigit multos annos cum eo familiariter viuere, hanc poſſum rei minimè dubiæ fidem facere, quàm magna ille atque egregia de te ſentiret; déque illo quo ipſum honeſtabas fauore; quo fieri diceret vt vix alicuius in eo genere laudis auidus, iudicio tamen & commendatione excitatus tuâ, quaſi quodam gloriæ igniculo, adſcribendum accenderetur. Quoties audiuimus illum dicentem, hanc ſibi mentem eſſe, hoc propoſitum, laudes tuas non vnius Epiſtolæ anguſtiis concludere, ſed integro grauioris Mineruæ opere celebrare, nomenque tuum, ſi minùs ad omnem pro ſuâ tenuitate ſpe-

rare liceret, ad longam saltèm posteritatis memoriam commendare. Quem sibi animum vbi morte præripi sensit, hoc me rogare cœpit intensiùs, vt hæc quæ præ manibus erant Diuorum Elogia operis succisiuis elaborata, Tibi quem ille Anni sui Sacri verum solem interdum vocare solebat, in aliquod grati animi monumentum offerrem. Meam verò ne ille fidem in promissis vnquàm desideret, eò libentiùs facio (Vir Illustrissime) quòd per Te huic operi non mediocrem commendationis accessionem futuram existimem. Neque enim, etsi illa abessent priuatæ obseruantiæ officia, poterat ille feliciùs Annum suum Sacrum quàm à Te ritè inuocato auspicari; quoniam nec omni ex parte Sacer dicendus erat, nisi Tibi dicatus, à Te in primo limine constituto euolueretur. Audeo dicere, nec ipse Author Poëtæ nomine dignus esset, nisi eius ambiret patrocinium, quem tota Gallia non solùm vt Poëtarum Mœcenatem agnoscit, sed vt propriis etiam operibus de totâ re Poëtica bene meritum, & suâ quoque lauro conspicuum. Vidimus præclara illa ingenii tui monumenta quæ nostro Poëtæ, pro eâ quâ eum beneuolentiâ complectebare, misisti paucis ante eius obitum mensibus; atque in iis mirati sumus Flos-

culos illos ex hortis tuis decerptos, & tantâ venustate insignes, vt vel ipsa florum parens Natura posset inuidere. Ita scilicet vtrâque fulges Themidis & Apollinis Infulâ conspiciendus, vt quantùm illa in judiciis eminet sapientiâ tuâ incredibili cum singulari integritate coniunctâ, tantùm ista priuato in otio emicet; cùm relicto, jucundo illo quidem, at non satis Musarum amico fori strepitu, mansuetiores amas reuisere literas & ad amœniora studia animum referre. Atque hîc, scio enim, quoniam à Poëtis vis adiri, cùm te conuenit ANNVS SACER, defuncti parentis posthumus filius, eamdem se sperat gratiam initurum, quam, vt e x eo hominum genere nemini, præcipue tamen R. P. Iusto Sautel non denegabas. Tùm verò quâ ille apud Te authoritate, quâ commendatione valebit, eâdem alios, qui quamplurimi sunt extra vrbem, eius amicissimos deuincies. Quorum omnium tibi bene cupientium vota vnus hâc Epistolâ repræsentat, etsi non alio notus nomine quàm quo optat esse.

Tibi, Vir Illustrissime

Deditissimus F. P.



ELOGIVM FVNEBRE R. PATRIS PETRI IVSTI SAVTEL E SOCIETATE IESV,

Ætatis huius nostræ Poëtæ Clarissimi.

I.

PETRVS IVSTVS SAVTEL è Societate Iesû, Delphinas Patriâ, domo Valentinas, maturâ si virtutem, immaturâ, si ætatem spectaueris, morte præreptus est. Turnoni octauâ die Iulij anni 1662. quadragesimum nonum vitæ annum, ingenti omnium luctu, nec sine opinione sanctitatis, sacris omnibus ritè procuratus, placidissimâ morte conclusit. Indeque vt piè credere fas est, *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, vt ostenderet illi Regnum Dei.*

II.

Vir fuit Ingenij politissimi, literisque humanioribus apprimè exculti. Poëticam ac Rhetoricam per annos plures magnâ cum laude professus est. Natus in-primis Apolline non irato, facilem Heliconis aditum nullisque vepribus impeditum inuênit, & viam, si quis alius, nouit quâ sit eundum ad carmen.

III.

Tam scitè scripsit ac copiosè de Diuæ Magdalenæ sacris ignibus piisque lachrymis, vt, si quid videri possit hac in re nimium, videri nimius possit. Lusus insuper Allegoricos Attico sale plenissimos, Hominumque moribus suauiter informandis aptissimos in lucem edidit. Annum sacrum, hoc est, Diuorum in singulos anni dies conscripta metricè, necdum Typis vulgata reliquit Elogia. Libros itidem de rebus à Christo Nascente, Agente, Patiente, ac Triumphante gestis parabat quatuor, quos immortali Deo velut Appendicē amoris vltimam, si vixisset diutiùs, ex animo consecrasset.

IV.

Magno sanè virorum eruditorum plausu excepti partûs ingenij fœcundissimi. Literas officij plenas atque gratulationis à præstantibus doctrinâ viris accepit quamplurimas. Pressit omnes obstinatissimè, satiusque semper duxit sui vnius æstimator iniquus ac judex, à Lectoribus, vt aiebat, suis veniam impetrare quàm laudem.

V.

Non dubitabat Illustrissimus vir D. *de Machaut* Amplioris Consilij meritissimus Princeps, Patronus idem Poëtarum ac Iudex æquissimus, ætate iam grandior, & in supremo dignitatis fastigio collocatus, de Poëtica re, quâ valet ac delectatur plurimùm, cum *Iusto* per literas amicissimè communicare.

VI.

Eam certè non ita pridem de illius carmine sententiam tulit vir plane Doctus suaque famâ notissimus D. *de Montmor*, Libellorum supplicum Magister, Academiæque politioris è Proceribus vnus, vt candido pectore pronuntiauerit, nihil sibi occurrisse hactenùs apud veteres Elegorum Condi-

tores, aut versûs concinnitudine numerosius, aut ingeniosius, aut elegantius. Visus nimirum est oculatissimo viro *Iustus* & Ouidio limatior, & Tibullo suauior, vtroque haud dubiè religiosior, quod vbique Musas pudicè tractarit Virgines; quas alij fecerant Meretrices.

VII.

Stylus illi certè Latinus & castus, elegantem quamdam præ se indolem ferens, sine strepitu efficax, sine pompâ conspicuus; ita latenter ac dissimulanter elaboratus, vt in eo se forma, non cultus ostentet. Sententia non supra modum elata; sed naturali quâdam pulchritudine exurgens. Dictio plena sanguinis atque coloris; suauis ex concursu vocum æquabili carminis modulatio; jucunda ex fabularum complexione doctrina; vbique ingenij curiosa felicitas. Atque hæc omnia sentiri legendo, quàm exprimi dicendo multò sanè commodiùs possunt.

VIII.

Quid plura? vitæ puritatem in scripta sua transmisit vir religiosissimus. Singularis quippe in eo semper enituit animi candor & mores sine fuco sinceri, quibus summam erga se fiduciam omnibus faciebat. Fraudis ac doli nescius & incapax, auersabatur animi frontisque dissidium. Sermonis illi gratia comitasque amabilis cum suaui argutoque verborum lepore conjuncta; ad Præsidum nutûs promptissimus animus, in Deum Religio summa; Pietas in Deiparam ac Cœlites singularis.

IX.

Incredibile dictù est, quàm liberalis ei fuerit in socios charitas vel cum incommodo suo, quàm alienæ semper, nunquam vero suæ commoditati obuius animus, quàm solers studium gratificandi singulis, quàm honorifica ratio agendi cum om-

nibus : tàm rogari nescius, quàm negare ; quos charitate suâ prosequebatur, illos ipsos charitatem latere suam volebat. Quare nullo beneficentiæ strepitu, nullo paratu beneficij, vnâ contentus voluptate benefaciendi, clanculùm occupabat omnium vota, preces anteuertebat.

X.

Religiosæ paupertatis amor tantus, vt in amictu stratoque sectaretur obsoletiora, nec adduci vnquam potuerit, vt nouam togam indueret. In egenos autem afflictæque fortunæ viros tàm profusa benignitas, vt ipsemet stipem in manus, in sinum, intra vestem, vbi tutò latere beneficium posset, vltrò ingereret Mendicabulis.

XI.

Plebeios fortunæque tenuioris Homines eximio quodam studio complectebatur. Eorum domos multò quàm ædes locupletiorum adibat libentiùs; benè de singulis merendi captabat omnes articulos; componebat eorum lites; sedabat jurgia domestica;bonis moribus in SodalitioDeiparę Virginis,cui per multos jam annos præerat,informabat. Eosdem ægros cùm visitasset de die,nocte postmodùm reuisurus indefessâ charitate surgebat. Illos deniq;in omnibus juuandi ardor indeses & spiritus inquies tamdiu viguit, quādiu gessit illorū curam.

XII.

Mirum planè est,quàm inter hæc nullus ei de se, quàm de cæteris eximius sensus vbique fuerit. Tranquillæ mentis cùm esset, eumdem semper tenorem præferebat ac vultum ; nisi cum propriæ existimationis fastidio captus faciem aliquando contraheret, vt coniectas in se laudes amoliretur. Aliena semper commendare, sua despicere, nemini obloqui, omnia probare, tàm laudis impatiens suæ, quàm studiosus alienæ. In ore cùm esset om-

nium, vnus ignorabat ſeipſum, adeóque gloriam non adamabat, vt non immeritò dixerit aliquis, *Iuſto* ſuas laudes etiam poſt mortem diſplicituras, quas adeò refugiſſet in vita. Miratus eſt ægréque tulit D. *de Montmor*, poſtquàm Poëtæ clariſſimi ſcripta perlegit, tamdiu latuiſſe, nec foras erupiſſe illius famam. Neſciebat ſcilicet vir Illuſtriſſimus, quàm maluerit ſemper bene *Iuſtus* facere, quàm videri; & ſcire multa, quam ſciri viciſſim à multis.

XIII.

Nec in morte quidem ſui diſſimilis, niſi quòd ſeipſo tunc maior. Supremum enim Actum priori haud abſimilem eſſe voluit, non jam Apollinari, ſed immortali laureâ coronandus Poëta: & qui Deo magis, quam ſibi vixerat, vni etiam Chriſto cruci affixo immori voluit. Dederat ille quidem in vita Poëſi operam, ſed majorem æternitati dediſſe vel ex morte compertum eſt. Diuturno morbo grauiter affectus hâc vna re angebatur, quòd nimia ſociorum eſſet erga ſe charitas. In tantam molem illius hepar excreuit, vt vniuerſa fermè præcordia jam occuparet, immanique, vti poſt eius mortem apparuit, ſedecim librarum pondere reliquum corpuſculum opprimeret. Vix hærebat oſſibus, vix poterat ſine alterius ope ſe in latus conuertere, ſiti enecabatur, ferebat omnia diſſimulato dolore, clariſſimo patientiæ religioſæ ac tranquillitatis triumpho.

XIV.

Mortis nuntium tàm intrepido excepit animo ac ſi de vita alterius ageretur. Quin-imò ſuam ipſe mortem præuenit, rebus caducis ac ſibi, vt vni Deo viueret, mortuus. Totos quindecim ante obitum dies in Chriſti crucifixi imagine, quam ſemper habebat ad manum, vt in mortem prodiret armatior, contemplandâ, in eâdem exoſculandâ piiſque col-

loquiis demulcendâ, magna cum animi sui voluptate, rationis suæ, vt cum maxime, compos traduxit. Ac demum in osculo Domini, quo se non multò ante refecerat; in gremio Deiparæ, quam semper enixè coluerat; in sinu Cœlitum, quos sibi studio peculiari obsequióque deuinxerat, nondum quidem dierum, sed bonorum operum plenus placidissimâ morte conquieuit. Beneficus esse non desiit etiam mortuus optimus Pater. Quâ enim die excessit è viuis; Tertianâ, quâ per duos omninò menses Valentiæ fuerat afflictus grauissimè planè carere cœpit ac bellè habere *Iusti* Frater charissimus. Viri siquidèm jàm cœlo recepti Fratrem non est ausa febris attingere: Dùm interim Oppidani certatim, Patris defuncti corpus globulis precatoriis, ad venerationem contigisse, summi loco beneficij ducerent.

XV.

Quàm porrò fuerit omnibus vnicè charus, prodidit luculenter commune studium leuandi doloris in morbo; vota passim à Ciuibus pro recuperandâ eius valetudine nuncupata; sacrum per dies continuos omninò nouem, magno concursu populi, ad eandem impetrandam gratiam, celebratum in Sacello Deiparæ Virginis Aspricollensis; communis denique omnium mœror in eius obitu prodidit. Magnificè Demortuo parentatum à Ciuibus Partheniis est, quorum plerique iniusso quodam impetu lachrymarum, orbitatem suam luxerunt & Parentis optimi optatissimique jacturam. Macti, tamen estote, *Ciues Turnonij*. Spirat adhuc bene de vobis meritus Pater in vestris omnium animis & immortalis quodammodo cœpit esse, dum moritur. *In memoria* enim *æterna erit Iustus* in terris, qui jam præmium labori par & æqualem virtuti ac meritis lauream in Cœlis est consecutus.

FINIS.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR Grace & Priuilege du Roy, donné à Fontainebleau, le 28. Aoust 1664. Signé par le Roy en son Conseil, GVITONNEAV. Il est permis au R. P. IVSTE SAVTEL de la Compagnie de IESVS, de faire imprimer vn Liure qu'il a composé, Intitulé: ***Annus Sacer, siue Selecta, de Diuis Cælitibus Epigrammata, in singulos Anni dies tributa***; durant dix années; & défenses à tous Libraires & Imprimeurs, de l'imprimer, vendre & debiter pendant ledit temps, sans le consentement dudit R. P. SAVTEL ou de ceux qui auront droit de luy, à peine aux contreuenans de trois mille liures d'amande, & de tous despens, dommages, & interests; ainsi qu'il est plus amplement porté par ledit Priuilege.

Et ledit R. P. SAVTEL, a cedé le droict de sondit Priuilege à IEAN HENAVLT, Libraire-Iuré à Paris, pour en joüir selon l'accord fait entr'eux.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois, le 12. Feurier 1665.

Les Exemplaires ont esté fournis.

Registré sur le Liure de la Communauté des Libraires le 7. Feurier 1665. *Signé,* MARTIN. *Syndic.*

ANNVS



ANNVS SACER POETICVS, SIVE Selecta de Diuis Cælitibus EPIGRAMMATA In singulos Anni dies tributa.

PRIMA DIE IANVARII.

Circumcisio Domini nostri IESV *Christi.*

Ad CHRISTVM.

I.

VIX bene purpureum potuit traxisse colorem
Quod tibi lac dederat sugere Virgo parens:
Tu riuos, lactis-ne vocem, riuos-ne cruoris ?
Fundis inhumano stigmate, læse Puer!
Parce, precor, tuus ex illo ne vulnere sanguis,
Ne lac ex illo vulnere Matris eat.
Sustinuit dare cruda tibi qui vulnera mucro,
Saxeus, aut saxo durior ille fuit.
Erubuit tamen ille nefas, vertitque colorem,
Siue cruor potuit vertere, siue pudor.
Heu Puer! heu quãtos dabis olim sãguinis imbres,
Vitæ aurora tuæ si modò prima rubet!

Vocatum est nomen eius IESVS. Luc. 2.

II.

Sanguine quærendi tituli, tibi, Pupule, nullum
Nomen erit, nullum si tibi vulnus erit.
Ne vel bina, Puer, gratis tibi syllaba constet,
Venale impenso sanguine nomen emis.

Sponsus sanguinum tu mihi es. Exodi 4.

III.

Expectata dies aderat, rituque parentum
Fixerat indignum vulnus acuta silex.
Vidit vbi roseum Pueri stillare cruorem
Mater, inexhaustas fletibus vda genas:
Pape, meus qui Natus eras, nunc fœdere bino,
Tu mihi tu sponsus sanguinis, inquit, eris.

Anni sacri primordium.

IV.

Dum tener exoritur Christus, sacer inchoat annus,
Sic paribus numeris Agnus & annus eunt.

I. IANVARII.

S. FVLGENTIVS *Ruspensis in Africa Episcopus.*

I.

An fulgore trahat, dubites an fulgure nomen?
Fulgeat, an multò fulguret ille magis?
Fulgurat, & fulget, mixtus cum fulgure fulgor,
Et fulgoris habet fulguris ille iubar.
Hunc fulgur reddit metuendum, fulgor amandum:
Illud nempe malis reddit, at iste bonis.

In Sardiniam relegatur.

II.

Fulgidior rutilo fulget Fulgentius astro,
An nouus in Libycis Sol micat ortus agris?

Sardoas lux illa abiit tamen exul in oras,
Vna nequit Soles Africa ferre duos.

Fulgentius nouum in terris prodigium.

III.

Supra homines, supráque feras Fulgentius extat,
Nil habet humanum, nil habet ille ferum.
Isto nobilius nunquam tulit Africa monstrum,
Monstrorum regio sit licèt illa ferax.

Donatum, Eutychen, Nestorium, & alios Hæresiarchas profligat.

IV.

Hæreticæ subigis portenta immania sectæ,
Ingenij doctâ dexteritate tui.
Patria terrificis scateat licèt Afria monstris,
Tu tamen his longè deteriora domás.

I. IANVARII.

S. ODILO *Cluniacensis Abbas calendis Ianuariis moritur.*

I.

Quâ sol luce suum reuolubilis inchoat orbem,
Hâc Odilo, vitæ jam satur, astra subit.
Iuit ad Empyreum, Xeniis donandus, olympum,
Nam nouus in cæli sedibus hospes erat.

II. IANVARII.

S. MACHARIVS *Abbas Alexandrinus cibi somnique abstinentissimus, deliciis cælestibus reficitur.*

I.

VIX reficit sua membra cibo, suâ lumina somno,
Quem Graia imposito nomine lingua beat.

Deliciis tamen vſque ſatur melioribus, haurit
Quæ ſibi de pluuio ſidere mella fluunt.
Terra! epulas, ait ille, tuas, tua fercula nolo,
Dum mihi ſit Chriſtus promus, & aſtra penus.

Culicum, apumque aculeis expoſitus titillantem amorem fugat.

II.

Bella Cupido puer, ſed non pueriliter infert,
Et vibrat in vetulum flammea tela jecur.
Heu quid agat? fugiat-ne ſenex, contra-ne reſiſtat?
An vocet ille homines, an vocet ille deos?
Forte per aërios tractus pennata juuentus
Prædatura breues ibat in arua roſas.
Ferte, piæ volucres, clamat vetus hoſpes eremi,
Deficio, veſtram nî mihi fertis opem.
Aduolat auxilio muſcarum exercitus ales,
Et querulum à puero protegit hoſte ſenem.
I nunc, Herculeos extolle, Cupido! triumphos,
Cum tua tam tenuis vicerit arma culex.

Muſca victrix Cupidinis.

III.

Quæ prius indomitum domitrix Pharaona ſubegit,
Indomitũ Puerum nunc quoque Muſca domat.
Ne tamen impariles certaſſe quis imputet hoſtes,
Aliger aligero victus ab hoſte cadit.
Nam Puer Idalius cecidit, ſtat Muſcula victrix,
Muſcula pennata eſt, penniger ille Puer.

Amoris & Apiculæ vulnus impar.

IV.

Quam bene belligerant jaculis armatus vterque;
Hinc Culicum cœtus, Cypridis inde Puer!

Non tamen hæc vno ſunt illita ſpicula ſucco,
Quæ jaculatur apis, quæ jaculatur amor.
Quæ jaculatur apis, mellis dulcedine manant,
Quæ jaculatur amor, ſpicula felle madent.

II. IANVARII.

S. ADELARDVS *Abbas, ex Aulico Aſcetes.*

I.

Diuitijs, vitijſque volens, Adelarde! relictis,
Nuda pius Chriſti miles ad arma fugis.
Hîc tecum noua bella geris; noua prælia miſces;
Nam dux, & pariter miles, & hoſtis eras. (ſtē,
Quod genus hoc pugnæ eſt; vbi nō qui vicerit ho-
Sed ſe qui poterit vincere, victor erit?

Poſt exhauſtam in egenoſ penum, currus cibariis onuſti ei diuinitùs mittuntur.

II.

Turba frequens inopum dextrā tibi tendit inanem,
Tu vacuas imples ære, cibóque manus. (ſtret,
Iamque ſuper nihil eſt, Adelarde! quod arca mini-
Et renuit ſolitas jam dare menſa dapes.
Aduexêre graues tibi plena cibaria currus,
Scilicet aſtrorum dulcis alumnus eras.
Nam quæ miſſa tibi, cæli famulantibus aſtris,
Fercula, de ſupero miſſa fuêre polo.
Perge, manuſque inopum largis ſementibus imple,
Has tibi cum meſſes ſidera, Diue! ferant.

II. IANVARII.

S. CLARVS *Abbas adſtantem ſibi noctu precanti cacodæmonem efficto crucis ligno fugat.*

I.

Nocte ſub obſcurâ Clarus dum Numen adorat,
Pronaque ſuppliciter dum rogat aſtra vigil;

Adfuit horrendi furuus dominator Auerni,
 Sed refugit visæ signa verenda crucis.
Inque suam remeat, velut ante, tenebrio noctem,
 Et procul à Clari Noctua luce fugit:
Dumque bonam metuit tenebrosus furcifer, vltro
 Absilit, inque malam maluit ire crucem.

III. IANVARII.

S. GENOVEFA *V. quòd templa frequenter celebraret, à Gerontiâ matre alapâ percutitur.*

I.

AD notam Genouefa frequens it Numinis ædē,
 Vt litet æthereo vota, precesque Deo:
Sæpius absentem queritur, reducemque puellam
 Increpat impactâ mater iniqua manu.
Vt minimâ sine labe nites! si templa subire,
 Quod reliquis pietas, est tibi, Diua, scelus.

Gerontia Mater in pœnam alapa inflicta oculis orbatur.

II.

Quod celebres diuinam ædem, Gerontia mater
 Perculit iratâ te, pia Virgo, manu.
Non tulit hoc impune nefas, nam vindice cælo,
 Plectitur erepti luminis orba parens.
Ergo suum cernens meliori lumine crimen,
 Poscit ab offensâ virgine mater opem.
Nec delusa fuit, nam, concedente puellâ,
 Vt prius æthereo vidit in axe iubar.
Matribus à reliquis reliquæ de more puellæ
 Vsuram accipiunt lucis, at ista dedit.

Genouefa dura Mater.

III.

Si medicis adhibenda fides, præmolle cerebrum
Protecti durâ matre, piâque sumus :
At cum te, Genouefa, sacris procul ædibus arcet,
Dura tibi tantum, non pia Mater erat.

Inter oues paternas, quas pauisse Genouefa dicitur, sponsum Christum eligit.

IV.

Pro sponso æthereum sibi sponsa paciscitur agnũ,
Dum patrias virgo rustica pascit oues.
Quæ sibi conciliat tanti sponsalia sponsi,
Non est judicio, rustica virgo, meo.
Nec temere hunc sponsum virgo sibi nubilis optat:
Agno, si debet nubere, nubat ouis.

Arreptitios duodecim fugatis malis geniis liberat.

V.

Amphitrioniadæ duodenos fama labores
Garrit, & innumeris spargit vbique sonis.
Nodosæ fuit illud opus mirabile clauæ,
Arma triumphatas hæc domuêre feras.
Iam rumor premat ora loquax, cum mollis inermi
Perculerit totidem monstra puella manu.

III. IANVARII.

S. GORDIVS *M. minutatim à carnifice conciditur.*

I.

Gordius innumerâ voluisset viuere vitâ,
Posset vt innumerâ sic quoque morte mori.

III. IANVARII.

S. ALDRICVS *Cenomanensis Episc. seuerè mansuetus in carpendis Aulicorum moribus.*

I.

Mellificas imitatus apes Aldricus, in aulam
Et stimulos & mel prouidus ore tulit.
At sine melle suum nunquam qui fixit acumen,
Hic ipsas melior vincere visus apes.

In vrbem Cenomanum suis sumptibus Fontem induxit.

II.

Grex sitit, at Pastor miserans deriuat in vrbis
Compita, gratuitæ ductile murmur aquæ:
Atque ita Iacobi veteris nouus æmulus, agnos
Et pastas adaquat nunc quoque Pastor oues.

Agnum cœlestem suo Ouili antetulit.

III.

Purus in Elysijs qui lilia pascitur hortis,
Vnicus Aldrici est Præsulis Agnus, amor.
Quamquam Pastor oues pleni numeraret ouilis,
Agnum illum gregibus prætulit ipse suis.

IV. IANVARII.

S. MAVILLVS *M. impune feris obijcitur.*

I.

AMPHITHEATRALES interritus inter arenas
Diue! voraturis traderis esca feris.
Ne tamen aut pardos metuas, toruos-ve leones,
Namque feris homines plus feritatis habent.

Si nescis, tibi tortor erit pardusque, leoque,
Vel rabiosa magis bellua si qua furit.
Indoleque in melius versâ pardusque, leoque
Esse tibi pardus desinet, esse leo.

V. IANVARII.

S. EDVARDVS *C. Rex Angliæ, ægrum mendiculum ad aram D. Petri defert, vbi conualuit.*

I.

PONDVS iners jacet ante sacri sacra limina tẽpli
Irus, vtraque manu captus, vtroque pede.
Votiuas gerulo si Principe fertur ad aras,
Certam exorato Numine sperat opem.
Spemque ratam sensit, nam quas cupit æger ad aras
Succollante nouum Principe fertur onus.
Vixque salutiferæ Princeps accesserat aræ,
Cum vetus ex ægro corpore torpor abit.
Bajulus hoc melior, multoque valentior alter:
Qui sit nobilior non tamen vllus erit.

V. IANVARII.

S. SIMEON *Stylita Columnæ incola.*

I.

Hospes hic est superis dudum conterminus astris,
Cui sua cognomen rite columna dedit.
Exiguam pertæsus humum pede fixus in vno,
Proximus at noctu cernit, & astra diu:
Nam celsũ numerosa premens per lustra cylindrũ,
Penè humeris cælum sustinet alter Atlas.
At tu fusus humi, cœnoque volutus in imo,
Sidera te digito tangere posse putas?
Quin potius terrarum humiles procul abijce curas
Nam sola, cur cælo natus, ad ima ruis?

Astra super, patriosque vagi super ætheris axes,
Cum nondum possis corpore, mente vola.
Tunc procul in nihilum tellus vanescet inane
Infima, vix oculis inspicienda tuis.
Compositum cum sole solum si tantula pars est,
Quantula tantilli pars eris ipse soli?

Plutonis currum efficto Crucis signo in ventum redigit.

II.

Mentitis Auriga Erebi Simeona quadrigis
Allicit, vt facili scandat in astra viâ.
Thesbites, ait, alter eris, quem turbinis instar,
Sustulit igniuomis flammea thensa rotis.
Ille doli metuens, victricia currit ad arma,
Quadrifidam dextrâ conficiente Crucem.
Vixque salutiferum descripsit in aëre signum,
Protinus in nebulas currus & orcus eunt.
Non eadem fraus vsque fauet, bene cessetat olim,
Persephone stygiis dum raperetur equis.
At modo nulla tibi cum virgine bella geruntur,
Iste vir est, vanis quem petis, Orce, dolis.
Imo Acheronteos virguncula vicerit hostes,
Obijciat parilem si modo prompta Crucem.

VI. IANVARII.

Epiphania Domini Nostri Iesu Christi. Ad CHRISTVM *de muneribus à Magis oblatis.*

I.

PARTIRI si terna licet, Rex maxime Regum,
Quæ tibi tergemini dona dedêre Duces;
Thura, Puer, pateramque auro radiante gementem
Solus habe, Myrrhæ pars mea munus erit.

Stellæ Christo nascente oriuntur, moriente occidunt.

II.

Se probat artificem rerum, dum sidera Christus
Vt moriendo fugat, sic oriendo creat.

De auro oblato ad CHRISTVM.

III.

Diues ab Eois qui Regibus accipis aurum,
Nos paupertatem siccine, Christe, doces?

S. IOSEPHVS *regiorum munerum distributor.*

IV.

Quæ dederant Reges, postquam Iosephus amoris
Admisit facili iusta tributa manu:
Diuisit tria dona tribus, sibi myrrhea sumit,
Sumit dona parens aurea, thura Deus.

Regibus in patriam redeuntibus fax nulla prauia.

V.

Ad Pueri cunas, turbæ prælucet eunti,
Dum redeunt, nullo sidus in axe micat.
Ne notet Herodes reducum vestigia Regum,
Extinxêre suas sidera cauta faces.

VI. IANVARII.

S. ANDREAS *Corsinus, Episc. Fesulanus, quem cum in vtero ferret Mater, visa sibi est lupum parere.*

I.

Fœtus adhuc vtero matris retinente latebat,
Fessaque maturum membra grauabat onus:

Illa ſibi falſi viſa eſt ſub imagine ſomni
  Degenerem pleno reddere ventre lupum.
Cynthia jam decies vacuum reparauerat orbem,
  Iamque ſuo liber pondere venter erat:
Creuit vbi pueri virtus, vbi grandior ætas,
  Cinxit honoratas infula digna comas.
Illusêre piam nocturna inſomnia matrem,
  Ille fuit Paſtor, quem putat eſſe lupum.

VII. IANVARII.

S. LVCIANVS *M. dum ſacrificat, pectore, pro arâ deficiente, vtitur.*

I.

MYſta ciet ſuperis veſcum dum numen ab aſtris,
  Triticeoque ipſum condit in orbe Deum;
Sacrificus Martyr, cor ara; ſacraria pectus,
  Diſcipuli templum, victima Chriſtus erat:
Si ſit vaticino fas conjectare Poëtæ,
  Nulla fuit ſummo gratior ara Deo.

Ad D. LVCIANVM.

II.

Deſit, at abſentem pectus tibi ſufficit aram,
  Dum faceres ſummo myſtica Sacra Deo.
Nulla vnquam, melius quæ fragret odoribus ara,
  Nulla vnquam, melius quæ flagret, ara fuit.

Ad Maximianum Imperatorem qui velatis oculis D. LVCIANVM *alloquebatur.*

III.

Non niſi protenſo voluiſti ad lumina velo,
  Martyris alloquio, Maximiane, frui.
Scilicet id peragis, iuuenis ne forte modeſto
  Pectoris indomitas frangeret ore minas.

Captum oculis vates solum cur finxit amorem?
 Tu quoq; cæcum odium, sæue Tyranne, probas.

VII. IANVARII.

S. REMVNDVS *C. è Familia* D. DOMINICI *à nautis nauigio exclusus.*

I.

Remundo cum terra neget, neget vnda carinam,
 Typhi, tuam cælo deijce, quæso, ratem.
Illa quidem Myniasque tulit, proceresq; Pelasgos;
 Grandius hoc, sed erit sanctius istud onus.
Hanc simul ac vector tactu felice beârit,
 Dignior æthereæ, quam prius, arcis erit.

Strato super æquor pallio nauigat.

II.

Stabat arenosâ Remundus in æquoris actâ,
 Ire per vndosas lintre paratus aquas.
It, redit, & vigili procul omnia lumine lustrat
 An foret in liquidas puppis itura vias.
Nulla fuit, vel si qua fuit, prohibente tyranno,
 Vectorem recipi noluit illa ratis.
Arte nouâ molitur iter, quis crederet vnquam?
 Lanea suppositis pallia strauit aquis.
Victor inoffenso calcata per æquora tractu
 Currit, & attonitas penula ridet aquas.
Quis nouus hic Athamante satus? per cærula Phryxus
 Fertur oue, hic solo vellere fertur ouis.

Ad D. REMVNDVM *ex aulâ transfugam.*

III.

Crede togam pelago, te crede ferentibus vndis,
 Et fuge, quæ pugnat moribus aula tuis.
Vnda quidem refluo sine fine reciprocat æstu,
 Sed magis æquoreis fluctuat aula fretis.

Sic est, & tumidas quæ concitat æquoris vndas,
Tutior aura tibi, quam foret aula, fuit.

VIII. IANVARII.

S. LAVRENTIVS IVSTINIANVS, *Patriarcha Venetus sodalem suum ad meliorem vitam traducit.*

I.

DVM thalamo Ditis nuptam deducere tentat,
Pirithous Thesei fertur ijsse comes.
Laurenti, Venetæ decus aspectabile gentis,
Cultor amicitiæ nobilioris eras.
Ille Acherontheas socium deduxit ad vndas,
Tu socium melior ducis ad astra tuum.

Plumeam culcitram moriturus sibi subtrahi iussit.

II.

Extremam jam pene animam moribundus agebas,
Antistes Venetæ Gentis, & orbis amor:
Tollite, ais, tepidis mollita toralia plumis,
Ne sit in Attalico mors mea nixa toro.
Dixisti, placidâque oculos sub morte natantes
Occulis in durâ tu quoque nudus humo.
I tamen, & merito longum fruiturus olympo,
Pluma tibi quamquam desit, in astra vola.

VIII. IANVARII.

S. SEVERINVS *Noricorum Apostolus, solutâ suis precibus Danubij glacie, vt naues onerariæ frumentum traijcere possent, Viennæ Austriæ fame laboranti succurrit. Idem Danubium, intra templi ambitum excurrentem, compescuit.*

I.

Frigore constiterat rigido gelidissimus Ister,
Nec poterat vetitâ currere cymba viâ:

Tu tamen in lacrymas, & in humida vota solutus
Diue, catenatas frigore soluis aquas;
Lymphaque jejunam dudum transmisit ad vrbem
Oppletas multo farre, ciboque rates.
Mox sacram effrænis dum labitur Ister in Ædem
Frænata imperio substitit vnda tuo.
Ilicet in partem lymphis moderaris vtramque,
Seu nolis fluuios currere, siue velis.

IX. IANVARII.

SS. IVLIANVS & BASILISSA MM. & *casti Coniuges, à quorum toro mirus odor efflabatur.*

I.

Votiuam, Sponsi, thalamum vertistis in aram,
Quæ suffitu halans diuite thuris olet.
Aut torus Elysium vester mutatur in hortum,
Quem dulcis varijs floribus afflat odor.
Cur tamen ambrosio thalamus suffimine fragrat?
Causa subest, nullo Cypridis igne flagrat.

S. IVLIANVS *in ipso funere Celsum Martyrem Christo parit.*

II.

Quâ Syrus indigenis gratissimus amnis, Orontes
Voluit inexhaustas irrequietus aquas,
Degebat Basilissa suo cum conjuge conjux,
Virgo cum sponsâ virgine sponsus erat.
Iamque diu castum seruarat vterque cubile,
Cum Basilissa suo funere functa cadit.
Interea ruit ex erebo furialis Enyo,
Et petitur quæ pars vna superstes erat.
Dum rapitur miseranda volens ad funera sponsus,
Ad parilem raperis tu quoque Celse, necem:

Nam teneram Martyr parit ipſo in funere prolem ;
Cumque ſuo proles viſa parente mori eſt,
Nemo pudicitiam poſthàc ſterileſcere dicat,
Hujus enim ſoboles Celſus, at illa parens.

X. IANVARII.

S. MARTIANVS C. *Templi incendium lacrymis extinguit.*

I.

FLamma vorax ſine more furit, tẽplíq; ſupellex
Deperit, & pleno pendula dona tholo.
Dumque alij fonteſq; ferunt, fluuioſque liquentes,
Quidquid & in tantis mens ſolet ægra malis ;
In lacrymas it Myſta dolens, ſpargitque furentem,
Quem prius ex oculis fuderat, imbre rogum.
Protinus attonitas cohibet reuerentia flammas,
Nec fuit vlterius ſerpere viſa lues.
Vos qui ſacrilegos lymphis fluuialibus ignes
Spargitis, ancipiti turba citata gradu,
Dicite, cur ſterilis dudum vos cura fatigat ?
En propè, quam longè quæritis, vnda fluit.

Datâ egeno vili togâ, auream è cælo recipit.

II.

Te laceræ largitum inopi mala ſcruta lacernæ
Protinus auratâ ſidera veſte tegunt.
Callidus es, tunicâque catus te paupere nudas
Dum meliora datis ſæpe repenſa vides.
Scilicet illectum melioris amore lacernæ,
Te reor attritam, Diue! dediſſe togam.

XI. IANVARII.

S. HYGINVS *summus Pontifex & M. ab Antonino Pio, tanquam Magiæ reus, morti addicitur.*

I.

CARMINE Theſſalico Stygios accerſere manes
Creditus, immeritum funus Hyginus obit.
Et famam pietatis habet, qui criminis autor
Pontificem crudâ mandat obire nece.
Cæſar & Antiſtes nomen commutet vterque,
Nam Pius hic dici debet, & ille Magus.

XI. IANVARII.

S. THEODOSIVS *Abbas veste cilicinâ induitur.*

I.

Corpora ſetoſo Theodoſius angit amictu,
Et Stygis inſidias hâc procul arte fugat.
His quoque, quicunq; es, ſimiles tibi ſpondeo lau- (ros,
Par lorica tuum ſi modò pectus habet.

XII. IANVARII.

S. ARCHADIVS M. *& manibus & pedibus Tyranni imperio orbatur.*

I.

PROPOSITI Archadiū cernens, fideique tenacem,
Has rigido Iudex intonat ore minas:
Ite, viri, rapite arma manu, ſtrictoque ſatelles
Enſe, pedes geminos amputet, enſe manus.
Vix ea, cum rabidâ tortor male percitus irâ,
Iudicis imperium dira iubentis agit.
Falleris, impietas! nam curret in æthera Martyr
Abſque pede; & palmas colliget abſque manu.

XII. IANVARII.

S. SATYRVS M. *falsi Numinis statuam flatu deijcit.*

I.

Dum per Acheiadas Satyrus peruaderet vrbes,
Fusilis insanâ stabat in æde Deus:
Hic populi lymphata cohors altaria circum
Sistit, & incesto Numen honore colit.
Vidit, & ingemuit Satyrus, turpemque colossum
Sternere, Ludicrâ, quâ valet, arte parat.
Sufflat in aduersum tenui spiramine numen,
Mixtaque numinibus corruit ara suis;
Inque suas abeunt aræque, & numina partes,
Tacta velut subito fulminis igne forent.
Exululate, Papæ, vacuas cum difflet in auras
Ridiculos Satyrus, numina vestra, Deos.
At tu quem subiti rapuit sacer impetus œstri;
Quique ruis toto signa caduca solo;
Diue, nihil peragis; nam numina fracta resurgent,
Cum struat hæc fuso quilibet ære faber.

XIII. IANVARII.

S. HILARIVS *Pictauorum Episc. Abram filiam suam vnicam hortatur, vt humano spreto connubio, diuinum præoptet.*

I.

GALLORVM præsignis honos, cui nobilis altum
Infula sacrato cinxit honore caput:
Egerat impubes jam filia nubilis annos,
Vna tibi casto quæ fuit orta toro.
Hanc multi petiêre proci; certantque vicissim
Et Patris & Natæ sollicitare fidem.

Tu tamen hanc summò despondes rite Tonanti;
Iure socer Generum quæris habere Deum.

XIV. IANVARII.

S. Felix *Nolanus C. inter Aranearum telas ab hostibus defenditur.*

I.

Hîc vbi læta suos latè Campania campos
Explicat, intonsis fertilis ora jugis:
Semiruti penetras, Felix, diuortia muri,
Hostiles fugiens, quâ licet arte, globos.
Protinus egestos suspendit Aranea casses,
Et versuta suum deproperauit opus.
Accessit, latæque videns propetasmata telæ
Turba redux, nullos credidit esse dolos.
Ingenium, moresque suos mutauit Arachne,
Nec velut ante, suâ calliditate nocet.
Quæ prius in prædam sublimis ab arce ruebat,
Te prædam hostilis nunc vetat esse manûs.

Araneus è textore faber.

II.

Callidus insolitam meditatur Araneus artem
Texere, dum veteri stamina more putas.
Nempe tibi tutum, Felix, fabricauit asylum,
Sic fuit ille faber, qui modo textor erat.

Ad D. Felicem *aranearum ope tutum.*

III.

Effugis insolito, Felix, tutamine sospes,
Et venit, vnde neges posse venire, salus.
Ecce plagæ prohibent, plagis ne saucius esses,
Telaque ne telis impeterere, vetat.

XV. IANVARII.

S. PAVLVS *Eremitarum primus, ad Eremum tendit, vbi Coruorum obsequio pascitur.*

I.

FORTE puer patrias, sua tecta, reliquerat ædes,
Concaua fortuiti dum subit antra jugi,
Captus amore loci, riuique strepentibus vndis,
Constitit, &, requies hæc mea, dixit, erit.
Dixit, & hoc crebros numerans sub fornice mēses,
Cœpit, qui iuuenis venerat, esse senex.
Hìc facilem leuat vnda sitim, sed in hospitis escam
Nulla recusato jugera farre virent. (bores,
At quam non tulerant hominumque, boumque la-
Hanc tulit obsequio prouidus Ales opem.
Nam Cererem alatus, rostro famulante, minister,
Gestat ad annosum, vesca diurna, Senem.
Et quamquam stimulante fame, conuiuia fido,
Ingustata tamen sobrius ore tulit.
Appositâ cur, Corue opifer, non pasceris escâ?
Vnde nouus reprimit rostra modesta pudor?
Ah video cur nulla fames irritat edacem,
Integer in patulo cur manet ore cibus:
Ne probet immemorem Senior se muneris huius,
Participem cœnæ te facit esse suæ,
Multaque quæ mensâ superant analecta remotâ,
Vecturæ pretium prouidus esse sinit.

Coruus D. PAVLI *Nutricius*.

II.

Incoluit pius antra Senex, longâque verendus
Canitie, crebros viderat ire dies:
Quamque puer syluam conspexerat antè puellam,
Post longo annosam tempore vidit anum.

Ales ei molitor, pistorque diaria portat,
Qui coquus, & condus-promus & altor erat.
Nutritam à Coruo quis crederet esse columbam,
Nî faceret certam res prius acta fidem.
Nam cum, Paule, fores morum candore columba,
Obsonator erat Coruus, Alumnus eras.

Coruus Morigerus.

III.

Dum super-immensas impune Noëmica lymphas
Cymba, triumphatis sospita fertur aquis;
Coruus ad omniferam jussus reuolare phaselum,
Non tulit oblitos ad sua septa pedes.
At modò morigerus jussi non immemor ales,
Pabula Thebæo fertque refertque seni.
Cum docili niger ales eat, redeatque volatu,
Hunc ego jam facti pœnituisse reor.
Quidquid & antiquis olim peccauerat annis,
Id totum obsequio velle piare suo.

Ad D. PAVLVM.


IV.

Cum te. Paule! sciam puri candoris amantem,
Dic age, cur volucris fert tibi nigra dapes?

Ad lautos Epulones.

V.

Sæpius ad sterilem Coruus reuolauit Eremum
Laturus vetulo farrea liba Seni.
Cur nullus jam vestra petat cœnacula Coruus,
Lurcones, sultis discere, causa subest.
Cum vos alitibus videat prope parcere nullis,
Callidus à vestris dentibus ille timet.



Ad Eosdem.

VI.

Scire lubet vestras cur non volet ales ad escas,
Qui tulit ad notum prandia sæpe Senem.
Quæ nunquam redeant, vestræ data præda saginæ,
Huc alias Coruus tendere cernit aues.

Coruus cibi abstinens.

VII.

Nil nisi dimidium defert in prandia panem
Forte aliam partem surpuit ales edax:
Non reor id causæ, nam, Paule, famelicus Ales
Exemplo didicit sobrius esse tuo.

Accedente D. ANTONIO *integrum panem defert Coruus.*

VIII.

Quamuis parca tenax obsonia diuidat ales,
Dimidioque statam pane ministret opem:
Si tamen inuitet conuiuam ad prandia Paulus,
Integra quæ portet fercula Coruus habet.

Tunicâ ex palmis contextâ induitur.

IX.

Sutilibus noua jure tegit te penula palmis,
Non satis est, ornet si tibi palma manus.
Vndique magnificis te debet adorea palmis
Cingere, qui toto corpore victor eras.

Vitâ functus, genibus tamen suffultus nititur.

X.

Obsitus annorum numero, jam Paulus eodem
Fuderat ore animam, quo prius ore preces.

Spiranti jures similem, similemque precanti,
Tam bene viuentis munia corpus agit.
Nam genibus subnixus erat, manibusque supinis
Supplicat, & solo poplite pressat humum.
Cur tamen erecto stetit ad sublimia vultu?
Vult fugientem animam corps inane sequi.

D. PAVLO *tumulando sepulchrum Leones effodiunt.*

XI.

Accelerant gemini, Paulo moriente, Leones,
Et caua lamentis tristibus antra replent.
At simul ac membris captiua senilibus hospes
Contempto excessit mens super astra solo:
Effodiunt modicum, sabulo cedente, sepulchrum,
Molliter annosi quo Senis ossa cubent.
Viuenti obsequium qui non renuêre Leones,
Nunc etiam extincto post pia fata ferunt.
Ni Leo jam siluas regnum tenuisset in omnes,
(Nam nemorum latè regia sceptra tenet)
Ne tale officium justâ mercede careret,
Debuerat famulis imperitare feris.

Ad D. PAVLVM.

XII.

Curribus indomitos mirum subiisse Leones,
Mirius est feretro, Diue, subisse tuo.

Corui & Leonis in D. PAVLVM *obsequium.*

XIII.

Obsequium famulare tibi præstantibus, ipsis
Vidimus ingenium mitius esse feris.
Desinit esse rapax, te, Paule, superstite, Coruus,
Desinit esse ferox, te moriente, Leo.

XV. IANVARII.

S. MAVRVS *Abbas super aquas tutus incedit.*

I.

Maure! per attonitas sicco pede laberis vndas,
Te probat hæc leuitas moribus esse grauem.

XV. IANVARII.

S. IOANNES *Calybita C. quem mater post mortem agnitum, dum aureis vestibus inuoluit, manu obriguit.*

I.

Viderat in patriis Calybita penatibus hospes
Ter niue conspicuum, ter quoque messe solum:
Mors laruam eripuit natum post funera nouit,
Quem male mendicum credidit antè parens,
Arte laboratas adhibet pro sindone vestes,
Quas oculis fuso reddidit imbre graues.
Cur Natum, inconsulta parens, (heu munus inane!)
Obnubis Tyriâ post sua fata togâ?
Vestem aufer procul hinc gemmis, auroq; rigentẽ,
Nî tibi vis rigeat tarda stupore manus.
Qui tritâ induitur, dum viueret ante lacernâ,
Hasne modo phaleras funere functus amet?

Ad MATREM D. CALYBITAE.

II.

Ne Nati incuses, Mater! pia furta latentis,
Profuerit laribus delituisse tuis.
Nunquam adeo latè toto celebretur in orbe;
Ignotus patriâ nî foret ille domo.

Ad EANDEM.

III.

Cùm tibi, quam cernis, non detur cernere prolem,
Nonne tuus, Mater! lumine captus amor?
At Phrygiæ modò texta paras ſuprema lacernæ,
Poſtquam nullius tegmine veſtis eget.
Antè dediſſe tui documenta decebat amoris:
Qui venit, vt curet funera, ſerò venit.

XV. IANVARII.

S. BONITVS *Claromontanus Epiſc. dùm noctu precibus in templo vacat, ſacram veſtem mirè candidam à Deiparâ accipit.*

I.

Dùm Bonitus tacitæ per amica ſilentia noctis,
Imploratam almæ Virginis orat opem:
Ecce ſuo, Aligerûm turbâ comitante, Clienti
Attulit albentem Virgo Patrona togam.
Hanc ſuperæ neuêre manus, nec Dædala Pallas
Tantæ aliàs vnquam texuit artis opus.
Quantus eras! ô quantus eras, digniſſime Præſul!
Cui video ſuperas ſuppara nere manus.
Suppara ſed nullo longè nitidiſſima næuo,
Supparâ lacteolâ candidiora viâ.
Nimirùm niuibus, puræque ſimillima lanæ,
Carbaſus eſt animo concolor illa tuo.
Imò licèt candore niues & lilia vincat,
Tu tamen ipſe animi candidioris eras.

Ad EVNDEM *de eâdem ſacrâ veſte.*

II.

Vnde trahit tantum veſtis ſincera nitorem;
Quam tibi cæleſtes, Diue! tulêre manus?

Conſpicuum minùs albet ebur, minùs alba liguſtra,
Et minùs ad ripam fluminis albet olor.
Hanc nec Amyclæis tinxit manus vlla venenis;
Hanc nec in Heſperiâ lauit Iberus aquâ:
Hanc Babylon non pinxit acu, nec nobile vellus
Graminibus creuit, Terra Phaliſca! tuis.
Nonne aries ſuperis rutilat qui pulcher in aſtris,
Vellera texendæ contulit alba togæ?

XVI. IANVARII.

S. MARCELLVS *ſummus Pontifex & M. belluis alendis à Maxentio præficitur.*

I.

Pontificem pecori dum Rex præfecit alendo,
Paſtoris functum munere ritè probat.

XVI. IANVARII.

S. FVRSEVS C. *ſemel atque iterùm è mortali corpore excedens, ab Angelis in cælum tollitur.*

I.

Deducente choro Superûm, rutilantia Furſeus
Corpore depoſito ſæpiùs aſtra ſubit.
Inque ſuum remeat rurſùs mens hoſpita corpus,
Lætior, hoſpitio ſi foret orba ſuo.
At ſupremùm abiens exceſſit ab ædibus hoſpes,
Nec reditura iterùm mens ſuper aſtra volat.
Ah! ne quære redux, veteres ne quære penates,
Præſtat enim vacuos hoſpitis eſſe lares.
Corpus humo mortale trahis, trahis æthere mentē,
Pars habitet patrium reddita quæque locum.

XVII. IANVARII.

S. ANTONIVS *Abbas eremum in vrbem vertit.*

I.

NE coleret celebrem populis Antonius vrbem,
Fugit, at in mediâ se videt vrbe coli.
Nam plebs accurrit studio conferta videndi,
Inque vrbem subitò vertit agreste nemus:
Nec latet ignauâ virtus vmbratilis vmbrâ,
Sed segetem pulchræ laudis vbique metit.
Clariùs obscurâ pugnat bellator arenâ,
Quàm si consereret prælia, sole palàm.

Spectris infernis frustra illuditur.

II.

Induat ora licèt variarum Pluto ferarum,
Tartareisque nemus perstrepat omne sonis:
Nã modò frẽdet Aper, modò sibilat horrida serpẽs,
Et modò venantum latrat ab ore canum.
Inque lupis vlulat, falsâque in tigride rancat:
Sus grunnit, taurus mugit, & hinnit equus.
Mox elephas barrit, rugit leo, rudit asellus,
Innumerosque vno diuidit ore sonos.
Non tamen his spectris Senior, pompâ-ve mouetur,
Forsan ad hæc trepidet ludicra tyro rudis.
Hic pugil innumeras visus decerpere lauros,
De Styge perdomitâ sæpe trophæa tulit.
Necquicquam hæc solidis miscentur inania rebus,
Non timet intrepidus talia visa Senex.
Cui rabiem posuêre lupi, verique leones,
An metuet fatuas, panica monstra, feras?

Obiecto Crucis signo à Stуge tutus.

III.

Imbellis, senioque tremens Ægyptius heros
Ridet Auernales, quos struis, orce! dolos.
Si sapis, inualidas, quibus vteris, exue fraudes,
Non facili prudens luditur arte Senex.
Ille decussatâ si pinxerit aëra dextrâ,
In subitam cernet te procul ire fugam.
Cur tamen ad solam visæ Crucis effugis vmbram?
Illa, quibus toties vinceris, arma times.

Toto terrarum orbe pro libro vtitur.

IV.

Diue! tibi vasti liber est si machina mundi,
Dic, vbi erit tanti Bibliotheca libri?
Cur tamen vnius mihi Bibliotheca petatur?
Vnus enim non est Bibliotheca liber.

XVIII. IANVARII.

S. LEOBARDVS C. *ædibus à fratre pulsus, rectà ad Asceterium, ex hoc in cælum tendit.*

I.

TE, Leobarde! suis germanus ab ædibus arcet,
Nudaque dat nudum sub Ioue terra torum.
Suspicis astriferi laqueata palatia cæli,
Et tibi, dùm fulgent sidera, sordet humus.
Este procul patrij, clamas, laquearia tecti;
Quod negat hospitium frater, id astra dabunt.
Et citiùs dicto, generosus Transfuga sacræ
Nomina militiæ sponte daturus abis.
Póstque triumphatos orci superabilis hostes,
Victor in æthereâ sede receptus ouas.

Quis modò fraterno ſapiens confidat amori?
Sæpe nocendo iuuat frater, amando nocet.

XVIII. IANVARII.

S. PRISCA *V. & M. in flammas impunè conie„ta.*

I.

Priſca, verecundæ pars non inhonora cohortis,
Quæ medios inter ſtas inaduſta rogos.
Non calet, at ſplendet, tibi qui ſuccenditur ignis,
Splendor ineſt, illo nullus in igne calor.

Ad eandem in ſupplicijs illæſam.

II.

Et ſexu, & teneris eſſes cùm mollis in annis,
Vnde tibi tantum, parua puella! decus?
Aſpernata priùs fueras quæ tigridis vngues,
Vngula carnificum nil tibi, Priſca, nocet.

Leonibus fruſtrà obijcitur.

III.

Biſſenis vnum addideras natalibus annum,
Priſca, inter latias gloria rara nurus;
Cum te implacati rabies furioſa Tyranni
Armeniis prædam iuſſerat eſſe feris:
Abſtinuit tamen ora Leo, pauidusque refugit,
Et ſæuo intactam tangere dente timet.
Tu nullo ſtas firma metu, Leo namque pauorem
Virginis, aſt animos virgo Leonis habes.

XIX. IANVARII.

S. MARIVS *M. quòd ignem nollet adorare, in ignem conijcitur, ſed ſine noxa.*

I.

MOre ignem patrio Marius dùm Perſa litanti
Se veneraturum pernegat eſſe manu:

Protinus hunc Lictor (ſic iuſſerat ira Tyranni)
  Pertrahit in medios, buſta parata, rogos.
Diuiſit ſe flamma patens, rituque coronæ
  Cinxit honoratas ambitioſa comas.
Dúmque pias reprimit miranda modeſtia flammas,
  Et caput innocuus lambit & ambit apex ;
Non colere eſt ipſum viſus Pugil inclytus ignem,
  Sed Pugil eſt ipſo viſus ab igne coli.

SS. MARIVS & MARTHA *Coniuges*, AVDIFAX & ABACHVS *eorum liberi manibus orbantur.*

II.

Necquicquam gladio turbæ nil tale merentis
  Victrices reſecas, dire Laniſta ! manûs ;
Nam quod Chriſtiadis Heroibus inſtat agendum,
  Bellum animo geritur, non feriente manu.

Ad CHRISTVM.

III.

Chriſte, tibi dederat manibus donaria plenis,
  Dat modò turba ſuas poſt ſua dona manus.

De SS. MARIO & MARTHA, *eorumque liberis.*

IV.

En pater, en genitrix, en pignora bina parentum,
  Pro Chriſti tolerant nomine mille neces.
Tàm bene cùm proles imitetur vtrumque parentẽ,
  Tàm bene cùm prolem formet vterque parens :
Vtraque digna fuit proles vtroque parente,
  Prole vtrâque fuit dignus vterque parens.

XIX. IANVARII.

S. PONTIVS *M. ſine noxâ ignem pedibus calcat.*

I.

Per medias graderis, Salamandræ more, fauillas,
  Nec tibi, qui reliquos exedit, ignis obeſt.

Diſſimilem, ſimilem-ve Petro te dixero, Martyr!
Alter enim flammas calcat, & alter aquas.

Ad Eundem.

II.

Ludenti medios nudâ tibi calce per ignes,
Non pyra, ſed potius flamma pyropus erat.

Geminum Leonem in circo ſuperat.

III.

Anteit Alciden ſacer Heros, namque Leonem
Alcides vnum vicit, at iſte duos.

XIX. IANVARII.

S. LAVNOMARVS *Abbas adhuc puer oues paternas paſcit.*

I,

Launomarus puris puer olim purior Agnis,
Innocuus patrij Paſtor ouilis erat.
Conueniens hæc vita fuit, nam iure morari
Inter lanigeras debuit Agnus Oues.

Eradicatam ſuâ oratione Arborem migrare aliò ſuadet.

II.

Launomare! auritam radicitùs extrahis Alnum,
Et nataſitiâ cedere cogis humo.
Quanta tuæ, proh! quanta fuit facundia linguæ,
Ceſſerit eloquio cùm vaga ſylua tuo?
Monychus ingentes iaculatus dicitur Ornos,
Quas priùs è proprio traxerat ille loco.
At tu maior eras, nam quod, fera monſtra, Gigantes
Vix poterant manuum niſibus; ore potes.

De eadem Arbore.

III.

Quis nouus hic Orpheus, cuius modulamine vocis
Cogitur è patrio ſylua migrare ſolo ?
Et fidis, & fidei ſunt hæc miracula rerum:
Nunc fidei Quercus ceſſit, vt ante fidi.

Fera à Lupis agitata ad eius antrum, ſinumque confugit.

IV.

Te Lupus inſequitur, roſtroque fatigat hianti,
Et nullum, quod te ſaluet, aſylon habes.
Launomari petis antra tremens, gremioque fideli
Abditus, eluſo callidus hoſte lates.
Si vitare Lupos iterum, leuis Hinnule! quæris ;
Rurſus in hoc poteris delituiſſe ſinu.

XX. IANVARII.

S. SEBASTIANVS *M.*

I.

DIue ! tibi celebres meditabar pangere lauros,
Nomen at in verſus noluit ire tuum.
Non tamen Aoniis ideò reticebere plectris,
Nec ſine te noſtrum perficietur opus.
Nam mihi præcipuo cùm ſis venerandus honore,
Tu meliore mihi voce Sebaſtus eris.

Ad APOLLINEM.

II.

Proijce plectra manu, pharetrâq; inſtructus & arcu,
Stridula depoſitâ corripe tela lyrâ.

Qui lacerum pungunt numerosâ morte Sebaſtum,
Te decet hos jaculis pungere, Phœbe! tuis.

D. SEBASTIANVS *palo alligatus ſagittis configitur.*

III.

Proh facinus! duro religatus brachia trunco
Innumeras patitur Martyr ab hoſte neces.
Ille quidem nullis protectus membra lacernis,
Nudus erat, ſi non veſtiat illa cruor.
Virginitatis amans, nullâ ne veſte tegatur,
Maluit effuſo ſanguinis imbre tegi.

D. SEBASTIANVS *Tortoris & Amoris ſcopus.*

IV.

Iuncta ſimul feriunt vnum duo tela Sebaſtum,
Tortor enim jaculis inſtat, Amorque ſuis.
Miſſilibus telis figit præcordia Tortor,
Miſſilibus telis pectora figit Amor.
Sauciat inflicto truculentus vulnere Tortor,
At pius inflicto vulnere ſanat Amor.

D. SEBASTIANVS *ſacri Amoris pharetra.*

V.

Cœleſtes diuinus Amor captabat amantes,
Captabat rari victor amantis Amor.
Vna manus neruum, geſtat manus altera telum,
Et puerile grauat pendula theca latus:
Aëra percurrit velox, per & æthera currit,
Telaque marmoreâ ſpargit vbique manu.
Iamque ſuperſtitibus pharetram viduauerat armis,
Cùm tua, quæ pateris ſpicula, Diue! videt.
Ergo fatigatas ſiſtens Amor aureus alas,
Exuit ex humeris pondus inane ſuis.

Teque simul miserans, simul vdo lumine cernens,
Compellat roseo lacteus ore Puer. (arcus
Quamquã absint pharetræ, modò suppetat integer
Pro pharetrâ posthàc tu mihi, dixit, eris.

Noua venatio.

VI.

More licèt volucrum patiatur vulnera Martyr,
Dissimiles ineunt Martyr, auisque vias.
Cuspide dùm petitur, cælo delabitur ales;
Ad cælum, fixus cuspide Martyr abit.

Ad D. SEBASTIANVM.

VII.

Telorum inuectus pennis, super æthera victor
Scandis, & ingratam deseris ales humum:
Nos brutæ telluris onus torpemus inertes,
Nî jaculis pungas nos quoque, Diue, tuis.
Telorum da parte frui, tibi cedimus alas;
Pro stimulo nobis, quod superabit, erit.

Ad Tortores.

VIII.

Pone sagittiferas, gens effera! pone pharetras,
Non habet illæsum jam noua plaga locum.
Concisum repetita perit per vulnera corpus,
Nec modò pars odiis est super vlla tuis.
Exanimis censendus erat, sed vulnera sentit,
Vnicus exanimem non finit esse dolor.
Quot spicæ in campis, tot inhærent spicula mẽbris,
Vix vaga tot pennas, dum volat, ales habet;
Vix tot acuminibus pungens Erinaceus horret,
Vix Rosa tot veprium morsibus hirta riget.
Exisset jam vita diu, sed fluctuat anceps,
An dabit illa sibi plaga, vel illa viam.

Dúmque ignorat adhuc, quâ tandem parte recedat;
Mens trahit ambiguas irresoluta moras.
Sed quid ego vestros remoror, fera turba! furores?
Proderit innumerâ cuspide membra tegi:
Nimirùm alatis vt erunt velata sagittis,
His poterunt pennis ocyùs astra peti.

Ad Eosdem.

IX.

Sat furiis ferroque datum, sat sanguinis haustum;
Vt saties auidam, putris hirudo! sitim.
Cernis, vt vberibus sanguis fluat vndique riuis;
Vestiat vt riguus corpora nuda cruor?
Nec miror laceris hunc artubus esse cruorem,
Sed nullum fronti miror inesse tuæ,
Scilicèt erubuit Martyr, quando, impie Tortor!
Debuit esse tuo totus in ore rubor.

Ad Spectatorem.

X.

Tu quisquis spectator ades, si lumine sicco
Ista potes, sicco cernere cuncta potes.
Cernis vt illæsum non tangant spicula truncum?
Hæc nisi te tangant spicula, truncus eris.

XXI. IANVARII.

S. MENRADVS *M. post Sacrum peractum, à sicariis occiditur, qui itidem occisi in Coruorum quos Diuus alebat, prædam cedunt.*

I.

VIX sacris operatus eras, Menrade! satelles
Molle tibi jugulum ter, quater ense ferit;
Intereà gemini redeunt ad pabula Corui,
Pascere quos solitus munere farris eras.

Vt vacuas vidêre manus, & corpora toto,
Quantus eras, latè ſanguinolenta ſolo:
Latronem incurſat geminum, roſtroque redunco
Vindicat illatam Coruus vterque necem.
Exiguâ ſta, Corue! morâ, tibi furcifer eſcam
Quam rapuit viuus, poſt ſua fata dabit.

XXI. IANVARII.

S. AGNES *V. & M. è lupanari illibata egreditur.*

I.

Duceris, ah! traheris potiùs, miſerabilis Agnes!
Ad loca, quæ caſto non licet ore loqui:
Ne tamen inſcriptæ metuas mala nomina cellæ,
Nam tuus hinc expers labis abibit honos.
Dum cœnum obſcœnum clarat, tamen aureus extat
Phœbus, & obſcœnum deſinit eſſe lutum.
Sic tua virginitas labem non contrahet vllam,
Hic tamen impurus deſinet eſſe locus.

A Tyranno nudata, crinibus ſubitò enatis veſtitur.

II.

Raptaris ſpoliata togâ, ſpolianda pudore,
In medios, Agnes, vt ſolet Agna Lupos.
Parce tamen, pia virgo! metu, ſpontanea veſtis,
Vnde minùs reris, jam tibi tegmen erit.
Ecce nouus creſcente comâ, te velat amictus,
Illam neſcieras tàm propè, Diua! togam.

Aliud.

III.

Veſte puellari nudatur amabilis Agnes,
Delibata oculis non tamen illa fuit.

Sponte suâ natis tegitur pro veste capillis :
    Vellere vestiri debuit Agna suo.

D. AGNETIS *comæ seruando pudori opportuna.*

I V.

Quæ coma captandis pôrgebat amantibus olim
    Spicula, dum prædas illaqueârat Amor:
Hæc modò virgineum tutatur honesta pudorem,
    Atque ita fit clypeus, quæ prius ensis erat.

Agnus in sinu D. AGNETIS *depictus.*

V.

Fert Ouis innocuũ (quid enim ferat aptius?) Agnũ,
    Agnum Agnes gremio dum fouet ipsa suo.

D. AGNES *in flammis illæsa.*

V I.

Is pede per domitas, Agnes! victore fauillas,
    Regnat vt in mediis tuta Pyrausta pyris.
Sobrius appositâ procul abstinet ignis ab escâ,
    Nempe tuas refugit lambere, virgo! niues.

Aliud.

V I I.

Alget in egelidis flammarum ardoribus Agnes,
    Quodque putabatur pruna, pruina fuit.

Aliud.

V I I I.

Cur mediis alget, non ardet in ignibus Agnes?
    Non erat in flammis ardor, at algor erat.

D. AGNES *flammis erepta gladio obtruncatur.*

IX.

Quam nec flamma vorax, nec proximus ignis adedit,
Hostia carnifici concidit icta manu :
Clariùs occideret flammis rutilantibus Agnes ,
Saucia sed cultro debuit Agna mori.

D. AGNETIS *vincula sponte defluunt.*

X.

Sponte suâ manibus manicæ cecidêre solutis ,
Libera mactari victima, virgo! cupis.

D. AGNES *piacularis victima.*

IX.

Non alia est quærenda tibi, quâ Numina places
Victima, placando nam cadis Agna Deo.

XXII. IANVARII.

S. VINCENTIVS *M. cuius corpus exanimum à feris & à volucribus Coruus defendit.*

I.

VIncenti factis nomen qui fortibus imples ,
Nec vacuum meritis laudibus esse finis !
Iam per mille neces, per mille pericula rerum ,
Passus eras vnam pro pietate necem.
Alitibus data præda iaces, nisi Coruus abactor
Arceat obscœnas, ne lacereris, aues.
Nam crocitat, rostroque ferit connixus , & vngue,
Si qua fera, aut vultur si quis odorus adest.
Corporis exanimi si sit custodia Coruus,
Certe ouium custos nunc erit ipse lupus.

Coruus diuersis ministeriis obsequens.

II.

Et rostro & rigidis connititur vnguibus ales,
Ne lacerâ reliquis, Martyr! edare feris:
Quàm varios, mandante Deo, famulatur in vsus!
Quàm diuersa vnus munia Coruus agit!
Thesbitæ adfuerat quondam ne deforet esca,
Nunc prohibet, ne tu flebilis esca fores.

Ad D. VINCENTIVM.

III.

Corporis extincti custos dum Coruus edaces
Et rostro, & curuis vnguibus arcet aues;
Diue! animum melior, multóque beatior ales
Abstulit, & sacrum pignus ad astra tulit.

XXII. IANVARII.

S. ANASTASIVS *Monachus dùm flagris cæditur, Tortores rogat sacras ne vestes attingant.*

I.

Nudat Anastasius dùm prompta, iubente Tyranno,
Membra catenatis dilanianda flagris:
Parce sacris, ait ille, togis, me percute, Lictor!
Inque humeros tantum sæuiat ira meos.
Quæ causa insolitum produxit idonea votum?
Innocuas vestes, se putat esse reum.

Ei vitam laqueo Tortor eripit.

II.

Non laqueo torquet, donat te torque Satelles,
Quod laqueus reliquis, id tibi torquis erat.

Ad Tortorem.

III.

Quem lethum subiisse putas, super astra resurgit
Victor Anastasij, nî male nomen habet.

XXII. IANVARII.

S. CAROLVS *Magnus, Rex & Imperator.*

I.

Ibo tuas præter, ter Maxime Carole! laudes,
Charta breuis tantum non capit ista virum.

Captiuos in Syriâ Christianos soluto pretio redimit.

II.

Christiadum Assyrijs captiua gemebat in oris
Turba, sub imperio, trux Othomanne! tuo.
Huc dextram extendit Magnus, manicasq; resoluit,
Quis Regum longas iam neget esse manus?

Multarum gentium victor.

III.

Terrarum, dominoque maris, rerumque potenti,
Sunt tibi, quæ vincas, sidera, Carle! super.
Hoc artis non Martis opus, nam nudus ab armis
Qui se cunque domat victor, is astra domat.

Caroli Magni medio corpore depicti imago.

IV.

Magnã imples tabulã, quanquã te corpore tantùm
Dimidio pinxit ingeniosa manus.
Da veniam artifici, Princeps! te namque tabella,
Vt totum caperet, quæ foret ampla satis?

XXIII. IANVARII.

S. CLEMENS *M. & Episc. Ancyranus, Sophiam sanctissimam fœminam, matrem habuit.*

I.

ET Clementis erat Sophiæ de nomine mater,
Et Clemens Sophiæ nobile pignus erat.

Huius debuerat soboles ille esse parentis,
Illa huius sobolis debuit esse parens.

Durissima ipse sibi infert supplicia.

II.

Et pius, & pariter facto crudelis eodem,
Immeritus pœnas, Diue! volensque luis.
Te nullo maculosa notat labecula næuo,
Et recta est vitæ norma, tenorque tuæ.
Cur tamen ipse tui vindex acerrimus, vltrò,
Quæ tibi vix Diocles inferat, ipse feras?
Martyrij quid amore flagras? longè antè Tyrannus
Quam te reddiderit Martyra, Martyr eras.

Toto corpore crudeliter laceratur.

III.

Exarat impressis rabies tibi corpora sulcis,
Quique priùs fuerat tortor, arator erat.
Non tamen in sterili labor hic absumitur aruo,
Proueniet claræ laudis opima seges.

De D. CLEMENTIS *nomine.*

IV.

Qui sibi, non alijs bellum tam duriter infert,
Hic alijs Clemens, sed sibi durus erat.

Inter sacrificandum occiditur.

V.

Occidis ad sacras, dum fers libamen ad aras,
Aut nusquam, aut illo dignus obire loco.
Victima tu Christi, fuit altera victima Christus,
Sic datur æterno victima bina Deo.

XXIII. IANVARII.

S. Emerentiana V. & M. *ad tumulum S. Agnetis collactanea sua cæditur.*

I.

Ad ſacrum Agnetis cadit hoſtia cæſa ſepulchrum,
O quàm virgo volens hoc prope marmor obit!
Vt cui facta prius ſociæ collactea mammæ,
Huic comes effuſo iuncta cruore foret.
Communes quibus vna dedit nutricula cunas,
His quoque communis debuit vrna dari.
Ergo diſpariles illis ne dentur honores,
Ortus, & interitus quas facit eſſe pares.

A concitatâ plebe lapidibus obruitur.

II.

Quæ fuerat gemmis, fuerat decoranda lapillis,
Hæc lapidum moles virgo, molaſque tulit.
Cuius erat facies minio pingenda nitenti,
Illa ſui ſolo ſanguinis imbre rubet.
Nec fuco meliore coli pulcherrima virgo,
Nec poterat gemmâ nobiliore tegi.

XXIII. IANVARII.

S. Ioannes *Eleemoſynarius Epiſc. Alexandrinus opes omnes in egenos effundit.*

I.

Fulſerat exhauſtâ nummi tibi quidquid in arcâ,
Effuſum in miſeras id fuit omne manus.
Quin etiam ſi quis præſens licitator adeſſet,
Ipſum te pretio vendere, Diue! velis:
At cùm ſis pretio longè pretioſior omni,
Nullus, par pretium qui dare poſſet, erat.

Salubre oleum è suo tumulo dedit.

II.

Ne tibi dissimilis, Præsul! moriaris, amicam
Pôrgere non cessas quæ medeatur, opem:
Namque salutiferum stillas tumulatus amomum,
Sic omni in miseros tempore mitis eras.

XXIII. IANVARII.

S. ILDEPHONSVS *Episc. Toletanus vestem mirè candidam à Virgine Matre accipit.*

I.

Ildephonse! decus patriæ prænobile terræ,
Quam casto eduxit turba nouena sinu:
Quam tibi dant Superi, Mariani pignus amoris,
Est toga Bistonias vincere jussa niues.
Scilicèt absterſi candor sine crimine næui,
Tessera virgineos hæc decet alba choros.
O quem tangit amor Superûm, quem cura pudoris,
Qui cupis ætheræ Virginis esse cliens!
Si minùs induti tibi penula corporis albet,
Certe animi, moneo, sit color ille tui.

XXIV. IANVARII.

S. BABYLAS *M. & Episcopus Antiochenus cum suis vinculis voluit tumulari.*

I.

EXanimes Babylas tumulo dum conditur artûs,
Compedibus liber noluit esse suis.
Id ratus est quod erat, nullos ad sydera vincto
Martyre, liberiùs currere posse pedes.

Cum eodem tres lectiſſimi adoleſcentes, ipſius diſcipuli, Martyrio donantur, qui tot plagis affecti ſunt, quot annos nati erant.

II.

Nobilis appendix Babylam comitata iuuentus,
 Cum quo viſa fuit viuere, juſſa mori eſt.
Nulla ætas non apta Deo; Deus æthera pandit,
 Siue velis juuenis ſcandere, ſiue ſenex.
En modò tergemini (flos illibatus) Ephebi,
 Quam tulerat Babylas antè, tulêre necem.
Nec temerè infligit cæcus tormenta ſatelles,
 Cui plùs contigerat viuere, plura tulit.
Pro numero annorum plagas dùm quiſque ſubiret,
 Neſtoris ætatem vellet habere ſenis.

XXV. IANVARII.

Conuerſio S. PAVLI *Apoſtoli.*

I.

PAVLVS inexpertæ ſtupefactus fulmine vocis,
 Ire pedes cœpit, qui priùs ibat eques.
Quod mirere magis, velociùs aſtra ſubiuit,
 Quàm cùm præcipiti curreret actus equo.

Ad D. PAVLVM.

II.

Paule! fugam cohibe, tenebriſque excuſſus obortis,
 Plange grauem totâ molè caducus humum.
Nox lucem dabit ipſa tibi, lux ipſa ſalutem,
 Teque tuus ſurſùm caſus in aſtra vehet.

XXV. IANVARII.

S. PROIECTVS *M. & Episc. Claromontanus à quibusdam suæ Diœceseos occiditur.*

I.

Te mala vulneribus, Pastor bone! turba trucidat,
Hos, Proiecte! tuum fouit ouile lupos.
Antè manus furum timuit, rictusque leonum;
At proprias timeat nunc quoque Pastor oues.

Lethale vulnus accipit in pectore.

II.

Infertur, Projecte! tibi sub pectore vulnus,
Fixerat hunc melior jam tibi plaga locum.
Aptiùs hâc poterat nusquam pars vlla feriri,
Quam quæ formosæ mortis amore flagrat.

D. PROIECTO *occiso, stella noua emicat.*

III.

Vix lethum intulerat geminus tibi, Diue! satelles,
Sideris insolitum fulget in axe jubar.
Cùm Deus in terris oritur, fax altera fulsit,
At tu dum cælo nasceris; ista micat.

XXVI. IANVARII.

S. POLYCARPVS *M. & Smyrnensium Episc. ad flammas Romæ damnatur.*

I.

IAm numero annorũ fessus, crebroque Decembri,
Succensæ Antistes stat prope ligna pyræ:
Ille nihil remoratus iit, quà densior ignis
Euomit vndosos in latus omne globos.

Canitiem venerata Senis se flamma recuruat,
Sponte coronatum lambere visa caput.
Et refugit ne fortè sacras propiore perurat,
Tempora dum cingit Præsulis, igne comas.
Diue! tuos lambit dum circum impunè capillos,
Esse videbatur flamma, corona fuit.

Flammis, quæ suauem odorem afflant, ereptus gladio confoditur.

II.

Roma! quid insimulas sceleris nil tale merentem?
Cur noua pœnarum monstra, necesque paras?
Non illos Mystes senior raptandus in ignes,
Non erat ille rogis dignus, at ille rosis.
Imo rosas calcasse reor, fuit ille rosarum,
Qui circumstantes leniter afflat, odor.
Eripitur tamen inde Senex, cæsúsque machærâ,
Tinxit odoriferum sanguinis imbre rogum.
Diue! suis radiis quanquàm tibi vita refulget,
Hæc tamen in medio clarior igne micat.

XXVI. IANVARII.

S. PAVLA *Romana in specu Bethleemitico diem extremum claudit.*

I.

Dic age, Bethlemium quid, Paula! recedis in antrũ,
Corporis exuuias depositura tui?
Miror ego, dùm fata tuæ cerno vltima vitæ,
Hìc vbi vita oritur, te potuisse mori.

XXVII. IANVARII.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS, *nondum Episc. Bysantinus à* D. PETRO *librum accipit.*

I.

NOndũ tantus eras superâ cum Petrus ab arce,
Diue! tibi sacrum donat habere librum.

Reijce jam reliquas numerosa volumina, chartas,
Te tuus hic poterit plura docere liber.

Aurea CHRYSOSTOMI *virtus & facundia.*

II.

Dicendo facundus eras, fœcundus agendo,
Concordique potens ore, manuque potens.
Aurea lingua tibi est, sed dextera ditior auro,
Et quamuis doceas plurima, plura facis.
Non rarò in reliquis, & lingua & dextera pugnant,
Aurea nam lingua, & ferrea sæpe manus.

Ad D. CHRYSOSTOMVM.

III.

Diue! tibi fluerent cùm flumina fusilis auri,
Nunquid erat pectus Auri-fodina tuum?

De D. CHRYSOSTOMI *statuâ.*

IV.

O meritum cui jure dedit Pitho aurea nomen,
Gemmeus aurifero dum fluit ore Tagus!
Expressère tuos docto simulamine vultûs
Molliter artificem signa secuta manum.
Sed muto tamen ore silet facundia diues,
Nec liquidas largo flumine fundit opes.
Scilicèt hic tua, Pictor iners! ars deficit omnis,
Nec potes inualidâ labra mouere manu.
Cesset ab elingui prorsùs tua dextra labore,
Aut nihil, aut doctos tu mihi pinge sonos.

CHRYSOSTOMVS *exilia subinde mutat.*

V.

Ex aliis alias ingens migrat Exul in vrbes,
Scilicèt vrbs tantum non capit vna Virum.

Variis pœnis afficitur.

VI.

Incude attritum variâ, licèt aureus esset,
Ferrea tam magnum sæcla tulêre Virum.

Exilium patriâ cælesti mutat.

VII.

Mille per exilia, & rerum per mille labores,
In patriam tandem nobilis exul abit.
Sed veram in patriam, nam terris pulsus & vndis,
Astra nihil præter, quò properaret, erat.

XXVIII. IANVARII.

S. IACOBVS *Anachoreta, post geminum scelus pœnitens.*

Hic est ille Senex, toties Acheronte subacto
Fertur Auernales qui domuisse minas.
Exitiale nefas reus execrabilis audet,
Tartareis visus succubuisse dolis.
Namque puella mali tristissima Dæmonis hospes,
Venit ad annosum sospes itura Senem.
Ille orci genium longe discedere iussit,
Iussus ab hospitio virginis orcus abit.
At vix conualuit pulso procul hospite virgo,
Cum Medicus cœpit peiùs habere Senex:
Namque pudicitiâ priuat, vitâque Puellam,
Et prius accumulat noxa secunda scelus.
Inde sui vindex cæcum subit abditus antrum,
Vt fleat assiduos, crimen vtrumque dies.
Hic lacrymans lamenta dedit, mersusque tenebris
Eluit vsque suos imbre cadente sinus.
E loquar, an sileam? penè est optabile damnum:
Penè iuuat gemini criminis esse reum:
Nam postquàm cecidit, virtutis ad ardua nitens,
Ditior efficitur per sua damna Senex.

S. IACOBVS *vt crimen fleat, in Sepulchro conditur.*

II.

Quis nouus hic ordo rerum? non ante Sepulchrum
Cætera gens hominum, quàm moriatur, adit.

At

At tu, Diue ſenex! vitâ remanente ſuperſtes,
Conderis effoſſâ ſponte ſepultus humo.
Ilicèt hanc pateris gemino pro crimine pœnam,
Et tumulus thalami corrigit ille nefas:
Atque ità (præteritum res ante ignota per æuum)
Sola vbi mors aliis, hìc tibi vita datur.

Ad D. IACOBVM *in Sepulchro deliteſcentem.*

III.

Sole palàm, radiiſque poli, malè perdita quondam
Quæris in obſcuro conſcius aſtra loco.
Et meritò; nam ſola oculis nox ſidera pandit:
Hinc tenebras, quiſquis ſidera quærit, amet.

D. IACOBVS *ſpeculum Pœnitentiæ.*

IV.

O qui præteritis addens noua crimina culpis,
Nullo animi ſordes flebilis imbre lauas!
Peccantis, pariterque viri peccata luentis
Ecce tibi ſpeculum, quod tuearis, habes.
Altera formoſæ ſumant ſibi vitra puellæ,
Hoc animi ſpeculum ſit, licet, vſque tui.

XXIX. IANVARII.

SS. PAPIAS *&* MAVRVS *MM. & Milites fuſtibus cæduntur.*

I.

O Socij, quos vna fides, quos vnius vna
Teſſera militiæ junxit, & vnus amor!
Vos ego, dum rudibus cædit, virgiſque ſatelles,
Donandos aliâ credo fuiſſe rude.

XXIX. IANVARII.

S. ARNVLPHVS *Miles, ab hostibus Domini sui captus, ex infelici arbore suspenditur.*

I.

Arnulphus medios Domini delapsus in hostes,
 Traditur arboreæ pendulus esse cruci.
Te tua spes fallit, Lictor! dùm pensile corpus
 Tollis in aëriæ robora longa trabis:
Nam vicina oculo propiore tuebitur astra,
 Quò mala, quâ pendet, celsior arbor erit.

XXX. IANVARII.

S. MARTINA *Romana, V. & M. ex eodem vulnere Lac simul & Sanguinem fundit.*

I.

ROmuleæ, Virgo! gemma illibata coronæ,
 Luce pudicitiæ quæ radiosa micas;
Dùm roseos tibi tortor atrox diuerberat artûs,
 Sanguinis, & Lactis fluxit vterque liquor.
Quàm bene Lactis ebur sociatur Sanguinis ostro!
 Cerussa est minio quàm bene juncta suo!
Martyrium Sanguis, Lac virginitatis honorem
 Denotat irruptâ nexa fuisse fide.
Currite pacifici per hiantia vulnera fratres!
 Et Lac & sociâ Sanguis abite viâ.
Nympha simul Virgo, Martyr simul esse probatur,
 Virginis est candor, Martyris ille rubor.

Lac ex vulnere D. Martinæ manans.

II.

Virgo verecundi laticem dat saucia Lactis,
 Dic mihi, Lac præter quid dare possit ouis?

D. MARTINA *Tortores in ipsis supplicijs ad Christum fidemque conuertit.*

III.

Vnde liquor sine labe nitens in virgine plagâ?
Vnde repentino Lacte, Puella! mades?
Dùm pareres castam, moritura Puerpera, prolem,
Lac ego crediderim te voluisse dare.
Vberibus tenerum nutricula lactat alumnum:
Vulneribus sobolem tu noua mater alis.

Ad Eandem,

IV.

Progeniem moriendo paris, vitâque potiri,
His tibi qui vitam præripuêre, dabas.
Ne noua deficeret Lactis sine munere proles,
Quod mamma est aliis, hoc tibi vulnus erat.

XXX. IANVARII.

S. ALDEGVNDIS V. *cui ægrotanti D. Petrus cum alijs Cælitibus adstitit.*

I.

Nobilis Heroum soboles, Regumque propago,
Versabat modico morbida membra toro:
Adfuit ætherei turba officiosa Senatûs,
Inque illo princeps agmine Petrus erat.
Dulcia morosi Virgo solatia morbi
Prælibat, superas te, Petre! dante dapes.
Talibus illecebris, tali dulcedine captam
Demulcet memoris prouida cura poli.
Longiùs humanis, quid Nympha, moraris in oris?
Te dudùm inuitant sidera, terra fugat:
En qui siderei limen tibi pandat Olympi;
Æthereæ Petrus Ianitor arcis adest.

XXXI. IANVARII.

S. MARCELLA *Vidua, mirè in pauperes munifica.*

I.

HÆc est Patriciæ stirpis Marcella propago,
　Quæ claro generis stemmate fulta nitet.
Illa vbi mortales sponsus prior exuit artûs,
　Alterius conjux noluit esse viri.
Non tamen orba fuit sobolis, licèt orba mariti;
　Nam meruit turbæ pauperis esse parens.





MENSIS FEBRVARIVS.

PRIMA FEBRVARII.

S. IGNATIVS *M. & Episc. Antiochenus, Nomen* IESV *corde impressum gerit.*

I.

IBAT Amor facibus, pharetrâque insignis, & arcu,
  Scriba salutiferi nominis ibat Amor:
Dùm dubitat rubris-ne rosis, niueis-ne-ligustris
  Inscribat IESV nobile nomen Amor:
Nomen in obryzo dignum quod inhæreat auro,
  Quódque reclinatis æquor adoret aquis.
Nomen Apelleâ dignum quod viuat in arte,
  Pingat & in calathis quod dea Flora suis:
Dùm dubitat, videt ecce tuũ Cor, Martyr, & inquit:
  Scribendi hæc sedes Nominis apta venit.
Et citiùs dicto, teli depromit acumen,
  Insignitque suis flammea Corda notis.
Ex illo penitùs Ignatius ignibus ardens,
  Impressum in sacro pectore Nomen habet.

S. IGNATIVS *depictus Cor flammeum manu gerit.*

II.

Ignati qui iure trahis tibi nomen ab igne!
  Cùm cæli arcano totus ab igne flagres:

Cor radiis flammarum ardens tua dextera præfert,
Nempe nihil flammâ iunctius ignis habet.

Feras inter moriens Nomen IESV *inclamitat.*

III.

Pœnorum moleris, Martyr, dùm dente leonum,
Et quereris rabidas non satis esse feras:
IESVM, iterùm IESVM, vitâ fugiente, vocabas,
Vltima vox, IESV, dum morereris, erat.
E linguâ in pectus transiuit amabile Nomen,
Nam moriens loqueris corde, quod ore nequis.

Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar.

IV.

Sum Christi Frumentum, inquis, me sæua molari
Conterat, & presso bellua dente molat:
Par merito reddis, sacras nam Christus ad aras,
Se tibi triticeum, Diue! dat esse cibum.

Ex abundantia cordis, os loquitur. Matth. 12.
Ad D. IGNATIVM.

V.

Seu vigilas, seu fortè premit tua lumina somnus,
Nil præter IESVM, quod loquereris, erat.
Diue! quod infixum pleno sub pectore gestat,
Id solet assiduo quilibet ore loqui.

Nomen IESV *in corde* D. IGNATII.

VI.

Interclusa tibi lacerârunt ora leones,
Tu IESVM extremo, quà licet, ore vocas.
Cor loquitur quod lingua tacet; sic, Diue! videris,
Esses cùm mutus gutture, corde loquax.

Cordis & oris concordia. Ad D. IGNATIVM.

VII.

Tam bene concordes cum Cor,& Lingua loquātur,
Corque gerat scriptum,quod pia Lingua sonat:
Iure tuum Linguæ frater Cor esse gemellus
Dicitur, & Cordis Lingua gemella soror.

I. FEBRVARII.

S. BRIGITTA *V. Cuius contactu ara viruit, certum seruatæ pudicitiæ, quæ in suspicionem adducebatur, argumentum.*

I.

Sis licèt, & niuibus puris, & lacte coacto
Purior, & nitidæ flore, Brigitta, rosæ:
Te tamen extincti damnat mala lingua pudoris,
Proiectæque ream virginitatis agit.
Luminibus factura fidem, tu protinùs aras
Intrepidâ tangis nîl remorata manu.
Ecce repentinæ cœpêre virescere frondes,
Hîc vbi iam longo verminat ara situ.
Et penitùs fœtis succo meliore medullis,
Induitur vernas tacta tabella comas.
Vos, fora, cum vestris clamosa silete Patronis;
Muta pudicitiam Virginis ara probat.

D. BRIGITTA *amorem Procorum auersata, impetrat, vt oculus sibi fœdum in modum affluat.*

II.

Orat & exorat speciosa Brigitta, pudico
Alterutrum extingui, quod micat ore, iubar.
Cùm vastum illustret radiis sol vnicus orbem,
Fronte suâ soles noluit esse duos.

Infantis linguam Cruce signatam, disertam reddit.

III.

Ecquid ego dudùm, grauiore sonanda Cothurno,
Virgo, pudicitiæ defero facta tuæ?
Cui linguæ acceleras, cui vocis præcocis vsum,
Doctiùs infanti te canet ore puer.

II. FEBRVARII.

PVRIFICATIO BEATAE MARIAE VIRGINIS.
Tulerunt eum in Ierusalèm vt sisterent eum Domino. Luc. 2. *Ad* D. IOSEPHVM.

I.

DVM templũ approperas gressu, Iosephe! senili,
Dona ferens summo rite litanda Deo:
Et pia te Soboles, & te comitatur euntem,
Quæ gerit in gremio pignora chara, Parens:
Tu fœtum enixæ pecudis, geminasque volucres,
Vile lytrum Pueri templa petentis habes.
Cur Agnum tibi cura fuit, cur ferre Columbas?
Virgo columba, Puer Virginis Agnus erat.

Tuam ipsius animam gladius doloris pertransibit.
Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c.
Luc. 2.

II.

Qui gladios Matri intentat, sæuosque dolores,
Pace quid in placidâ vult tamen ille mori?

III. FEBRVARII.

S. BLASIVS *M. & Episc. Sebastenus, à Venatoribus in syluis capitur.*

I.

MONTIS in Argæi Blasius secesserat antrum,
Dulcia compositæ dùm loca pacis amat.

Solus erat, sed turba comes venêre ferarum,
Quælibet officii fida ministra sui.
Nec solæ venêre feræ, sed venit & ipsas
Venator captans per Senis antra feras.
Ille sub arboribus residens, mediusque ferarum
Concilio, hinc pardis imperat, inde lupis.
Hunc vbi conspexit Miles, noua præda, Sodales,
Hæc operæ pretium non leue, dixit, erit.
Nec mora; constrictus vinclis quas ante reliquit,
Per medias vrbis cogitur ire vias.
Improbe Venator! capturâ diuite felix!
Si tamen est felix, quem sua culpa beat.
Nunquam ex quo lepores cursu, ceruosq; fatigas,
Venerat in casses tam bona præda tuos.

D. BLASIVS *in sylua captus.*

II.

Quæ noua venandi ratio? Nemoralibus antris
Abdita captatur dùm fera, captus homo est.

IV. FEBRVARII.

S. REMBERTVS EPISC. BREMENSIS *miro in Cacodæmonas imperio.*

I.

PEllitur obsessis infernus ab ædibus hospes;
Et reperit nullos, quos colat Erro, Lares.
Hæc est illa tuæ, Remberte! potentia vocis:
Hæc sunt, Orce, tui tristia signa metûs.
I nunc, & solium summi conscende Tonantis,
Cùm tibi sit nostro nullus in orbe locus.

Iussit se humari in Templi aditu.

II.

Vestibulum ante ipsum, tritique in limine Templi,
Vis, Remberte, animâ corpus inane tegi.

Sperabas, dùm sæpe iret rursúsque rediret,
A populo pedibus prætereunte premi.
At spes vana fuit: nam mox miracula tectus
Patrat in hoc tumulo prodigiosa Cinis.
Famosam extemplo propylèum cessit in Ædem,
Vrnaque quod fuerat funebris, ara fuit.

Ad D. REMBERTVM.

III.

Non aditũ, sed templi adytum, Remberte! mereris,
Vrnaque non Cineres, sed decet ara tuos.

IV. FEBRVARII.

S. THEOPHILVS C. *post euocatum Orcum & eiuratum coràm eo Fidei Christianæ sacramentum, ad Virginis sinum, nec frustrà confugit.*

I.

Tergeminæ portenta Hecates exciuit ab orco,
Qui malè diuini Numinis audit amans;
Ingratúsque Cliens iuratum eiurat amorem,
Infidamque, Deo quam dedit antè, fidem.
Quid quòd Auernali mandat perjuria scripto,
Et sacrum obsignat perfida gemma nefas?
At scelus horrificum menti sine fine recursat;
Intentatque auidas torua Megæra faces.
Heu quid agat pauitans, vel quas reus occupet aras?
Anchora quæ laceram firmet amica ratem?
Virgo! tuam exorat, quæ nunquam defuit vlli,
Hanc modò suppliciis tristibus orat opem.
Dum perstat lacrymans Marianæ limen ad ædis,
Rite quaterdeni præteriêre dies.
Tu luctûs miserata tui, Patrona, Clientis,
Excutis irato tela vibranda Deo.

Et frendente Erebo, ſceleris ne ſigna ſuperſint,
Vritur inſidâ ſcripta tabella manu.
O quemcunque graui torquent delicta reatu,
Ad ſimilem magnæ confuge Matris opem.
Ire tuas non illa preces permittet inanes,
Illa dabit votis pondus ineſſe tuis.
Nullo vnquam gemitu reſeratur ianua Ditis,
Septa fuit ſurdæ cum ſemel ære feræ:
At Cœli (nam, Mater!amas hâc voce vocari)
Panditur ad minimas janua pulſa preces.

IV. FEBRVARII.

S. Ioanna Francica, *tribus Galliæ Regibus, quos proximâ affinitate attingebat, ob corporis deformitatem inuiſa, clauos quinque argenteos pectori infigit.*

I.

Et ſoror, & coniux, generoſaque filia Regum,
Pertulit indignis multa, diúque modis:
Huius enim qui frater erat, ſponſuſque, parenſque,
Nec frater, nec vir, nec velit eſſe parens.
Geſtat in informi quem princeps Fœmina dorſo,
Tergeminus gibbum ferre recuſat Atlas.
Sponte nouos primis addit Regina dolores,
Dùm ſibi cuſpidibus pectora quinque ferit.
Nimirùm longo dudùm quam pertulit vſu,
Affigi his clauis debuit illa Cruci.

V. FEBRVARII.

S. Agatha V. & M. *iacturam Mammarum patitur.*

I.

NYmpha Syracuſiis olim prælata puellis,
Conueniens Agathæ quæ tibi nomen habet;

Ne graue sit geminæ dispendia ferre Mamillæ,
 Non minùs ablato lacte futura parens.
Nam fidei accrescens soboles, non lacte Parentis,
 Sanguine sed fuso Martyris optat ali.

Amor diuinus de Mamillis D. Agathæ sanguinolentis.

II.

Abstulerat geminas Agathæ laniena Mamillas,
 Cùm fluit è plagis qui solet ire cruor.
Ales Amor nitidam properat supponere lancem,
 Sectile in immundam ne cadat Vber humum.
Dúmque volat, superos munus laturus ad axes,
 Hæc leuis arguto protulit ore puer:
Mutauit Natura fidem, priùs alma liquorem
 Mamma dabat niueum, dat modò mamma rubrũ.

Ad Tortorem D. Agathæ mammas secantem.

III.

Virgineo cur bina sinu rapis Vbera, tortor?
 Sanguine purpureas cur facis esse niues?
Materno quæ lacte parens te fouit alumnum,
 Digna hoc supplicium, quæ pateretur, erat.
Ah fallor! tibi nulla dedit priùs Vbera mater,
 Vel tibi si qua dedit, sola leæna dedit.

D. AGATHA, *noua Amazon.*

IV.

Abscissis Agatham dum tortor Amazona Mammis
 Reddidit, ad pugnam promptior illa fuit.
Imò mihi veteri censetur Amazone maior,
 Hæc vnam è Mammis perdidit, ista duas.

QVINTIANVS SICILIAE PRAETOR, *post martyrium D. Agathæ, dùm Panormum ad eius fortunas rapiendas properat, flumine obrutus miserè perit.*

V.

Ibat ouans auri cupidus, plenusque cruoris,
  Rapturus miseras Prætor auarus opes:
At calce alipedum, cursuque obtritus equorum,
  Decidit in rapidas, flebile pondus, aquas.
Pœna quidem grauior poterat punire nocentem;
  Aptior hâc poterat non tamen vlla dari:
Nam quamquàm fortasè famē non merserit auri,
  Hoc tamen est auri flumine mersa sitis.

V. FEBRVARII.

BEATVS PAVLVS MIKI E SOCIETATE IESV, *vnà cum geminis Sociis in Iaponiâ Cruci pro Christo affixus.*

I.

Vincla procul remouete, Viri! quæ causa teneris
  Morigeras manicis impediisse manus?
Quas cupidis tàm sæpe Cruces prensauimus vlnis,
  Nil modò, præsentes cur fugiamus, erit.
Hoc ego, quem patior, caruisse dolore dolerem;
  Magna foret nullam Crux mihi ferre Crucem.
Vos Ignatiadum soboles, germana propago,
  Quos alio longè terra sub axe tulit!
Hùc celeri properate gradu, Crux altera vestri,
  Altera Crux pretium grande laboris erit.
Ista Cruces tellus, Crucibus fœcunda creandis,
  Ad numerum vobis, si properatis, habet.

E Cruce, tanquàm è Pulpito, Christi fidem prædicat.

II.

Regali Crucis è solio moriturus, adeptam
Prædicat, & factis Martyr, & ore fidem.
Nemo vnquam Cathedrâ meliori dicere, nemo
Dicere suggestu nobiliore potest.

Ad B. PAVLVM.

III.

Cùm simul hanc factis, simul hanc sis ore professus,
Paule! tuæ Fidei major habenda fides.

B. PAVLVS *suo sanguine Christi fidem obsignat.*

IV.

Dat Paulus Præcoque sonos, Martyrque cruorem,
Quámque Fidem docuit voce, cruore probat.
Non satis est vno Christum si nuntiat ore,
Saucia quot cernis membra, tot ora vides.

V. FEBRVARII.

B. LVDOVICVS IAPO M. *vndecim annorum Adolescens, pari cum Paulo, & aliis M M. Cruci affigitur.*

I.

Primæ inerat Lodoicus adhuc in limine vitæ,
Addita nam decimæ vix noua messis erat.
Exhibet ille animos iuuenili ætate viriles,
Dùm rogat ostendi, quæ sibi fixa, Crucem.
Hanc vbi (nam minima est) certo puer indice nouit,
Soluit ad optatam brachia laxa trabem:
Vtque suos Volucris Phœbea superstat odores,
Sic gremio applicitam stat super ille Crucem.

At mox vincla manûs geminas, ſimiliſque coercet
Indigno geminos more catena pedes.
E Cruce finitimis prope jam conterminus aſtris,
Quò vibrare nequit corpora, vota vibrat;
Penè volaturus ſumptis nouus Icarus alis
Ad Superos, manicæ nì remorentur, erat.

VI. FEBRVARII.

S. VEDASTVS EPISC. ATREBATENSIS, *cuius obitum inſiſtens tecto columna ignea prænuntiauit.*

I.

DVm premit affectos morbus tibi lethifer artûs,
Inſedit Laribus pendula flamma tuis.
Solemnes ſuccende faces in funera, Præſul!
Ignis enim cineres nuntiat iſte tuos.

VI. FEBRVARII.

S. AMANDVS EPISC. TRAIECTENSIS, *clàm ſubmiſſis qui ſe occiderent, Graſſatoribus, lucem ſubitò amiſſam reſtituit.*

I.

Impia turba pium (quis crederet) odit Amandum;
Et petit armatâ pectus inerme manu.
At qui mente priùs tantùm, nunc lumine captus,
Graſſator dubio ceſpitat Erro gradu.
Redde iterùm cuius rapuiſti luminis vſum,
Nam rapere, & rurſùm reddere, Diue! potes.
Redde oculos, ô Amande! ſuum ſic cernere crimen,
Sic poterit mores cernere, Prædo, tuos.
Annuit optatis Myſtes, nam luce receptâ,
Rurſùm oculis gaudet turba potita ſuis.

Diue! tuos quibus officiis cumulabis amicos,
Si tuus id cæcus muneris hostis habet?

Tempestate iactatus D. PETRVM *in puppe conspicit.*

II.

Quâ veheris, rapidâ jactatur, Amande! procellâ
Naufragaque æquoreas jam bibit alnus aquas:
At tibi sydereâ Petrus demissus ab arce,
Nautica dat facili vela, legitque manu:
Parce metu, quæcunque Petro sub præside currit,
Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Augiam insulam signo Crucis munitus ab immani Dracone liberat.

III.

Serpentem Alcidæ suppar deuincis, Amande!
Vt picta est facili Crux per inane manu;
Postmodò majorem quis te neget Hercule? clauâ
Majorem Herculeâ quis neget esse Crucem?

VI. FEBRVARII.

S. DOROTHEA V. & M. *Theophilo, Patrono poma & flores è cælo mittit.*

I.

Tenderet Elysios cùm strenua Martyr in hortos,
Lacteolum crudâ morte metenda caput;
Dorothea ex illis nuper promiserat hortis,
Rustica Theophilo se dare dona suo.
At sibi mittendos hyemali tempore flores,
Causidicus lepidis riserat esse iocis.
Nec mora; messuerat quæ virgine pollice Virgo,
Aliger in calatho fert duo dona puer.
Autumni fert dona puer, fert munera Veris;
Nam poma Autumni, lilia Veris erant.

Et dixit: Tibi Virgo Rosas, tibi Coctona mittit,
  Liberet vt pactam, quam dedit antè, fidem.
Hìc melimala rubent, vernat rosa, lilia candent,
  Vnde tuis tulimus munera risa iocis.
Vulnificis si fortè rosæ mucronibus horrent,
  Non ea sæuities, dùm legerentur, erat:
At simul ac vestrum flores venêre sub orbem,
  Protinùs est illis additus ille rigor:
Nam qui sydereis flores nascuntur in hortis,
  Noxia nullius cuspidis arma gerunt:
Quantò ipsum spectare foret tibi gratius hortum,
  Cùm rapiant oculos hæc quoque dona tuos?
Dixerat hæc, calathoque puer, donisque relictis,
  Corripuit volucrem rursùs in astra fugam.
Et subitò qui Poma prius, qui riserat Hortos,
  Et pueri, & voluit Martyris ire comes;
Sic fato cecidêre pari virgoque procusque;
  Se necis hic comitem præbuit, illa ducem.

VII. FEBRVARII.

S. THEODORVS CENTVRIO, *& M. Draconem inermis conficit.*

I.

TErrorē nemorū subigis, Theodore, Draconē,
  Et laceras facili grandia monstra manu.
Nemo mihi Herculeæ iactet miracula dextræ,
  Et domitas toto, quà patet, orbe feras.
Quæ ferro Alcides peragit, clauâque trinodi,
  Militis hæc nudâ vidimus acta manu.

Deorum Simulacra atque insignia diruit.

II.

Cæsaris imperio, Lictor quæ pronus adores,
  Ante oculos statuit numina vana tuos:

Tu scelus exosus, iustamque accensus in iram,
Signa superposito proteris icta pede;
Et Martis frameam, atque armatæ Palladis hastã,
Cùmque suo fulmen frangis, & arma Ioue.
Et Veneris ceston, Puerique volatilis arcûs,
Ipsaque Phœbeæ spicula iuncta lyræ.
Dextra Giganteo longè tibi robore maior,
Cùm superes superos tot, Theodore, deos.

VII. FEBRVARII.

S. PARTHENIVS EPISC. LAMPSACENVS, *adhuc puer piscatum in pauperum commodum exercet.*

I.

Parthenius tremulâ captabat arundine pisces,
Mendicisque dabat dulcia lucra Puer.
At neque desistit veteri modò Præsul ab arte,
Sed prædæ aucupium nobilioris amat:
Nam priùs incautos qui cepit in æquore pisces,
Nunc prouentu homines vtiliore capit.

Segetem in agro sterili metit.

II.

Quæ noua frugiferæ Cereris miracula cerno;
Nîl sementis vbi est, hîc sit vt ampla seges?

Suis lacrymis Pluuiam elicit.

III.

Vix lacrymam dederas, toto ruit æthere nimbus;
Ilicèt exemplo flet Polus ipse tuo.

Sacro Oleo & Sale adhibitis mira patrat.

IV.

O vtinam illius quo tot miracula præstas,
Sit mihi gutta Olei, sit mihi mica Salis!

VII. FEBRVARII.

S. ROMVALDVS C. *autor Ordinis Camaldulensis, vidit scalam ab imo Solo ad Cælum pertingentem.*

I.

Scalarum, Romualde! gradûs per inania spectas,
Parte Solum credas tangere, parte Polum.
Nimirùm his gradibus, quæ te Duce, militat astris,
Scandet ad æthereas fulta caterua, plagas.
At tibi Scalarum gradibus, quibus æthera scandas,
Nil opus est, aliâ tendis in astra viâ.
Ipse volas, tua turba sequax dum repit ad astra,
Nec tibi, Diue, ingens Scala, sed ala fuit.

VIII. FEBRVARII.

S. PAVLVS *Virdunensis Episc. cuius cùm sacras reliquias pij fures auferrent, à sua Diœceseos populo receptæ sunt.*

I.

PRæsulis exuuias & pignora funebris vrnæ,
Tollebat furto diuite læta cohors:
Plebs numero glomerata ruit, furesque coëgit
Ponere sacrilegâ lipsana rapta manu.
Tuta vigil quondam seruabat ouilia Pastor,
At sua Pastorem nunc quoque seruat Ouis.

VIII. FEBRVARII.

S. MARINA *V. cum veste viri nomen induit.*

I.

Te-ne, Marina! virum dicam, te-ne esse puellam?
 Nec vir nec virgo es, sis licèt ambo simul.
Te tua formosam vestis negat esse puellam;
 Debilior sexus te negat esse virum.
Neuter eras, at vterque tamen, nec fœmina, nec vir,
 Et simul insolitâ fœmina, virque viâ.
Nam Natura parens te fecerat esse puellam,
 Mascula te virtus fecerat esse virum.

IX. FEBRVARII.

S. APOLLONIA *V. & M.*
Ad Apollinem.

I.

CVm sit Apolloniæ consors tibi nomen, Apollo!
 Debet Apollineo carmine Virgo cani.

S. APOLLONIA *dentium potiùs quam Fidei iacturam passa.*

II.

Virgo, Paretonias inter celeberrima Nymphas,
 Primaque Niliacæ gemma, nitorque plagæ!
Dum ferit excussos valido tibi verbere dentes
 Quæ per & ora furit dextera, perque genas;
Cernuus è supero pugnam miratus Olympo,
 Te tali affatur murmure, castus Amor.
Prælia, Virgo! tuis certant Samsonia, Samson
 Maxillâ, sed tu prælia dente geris.

D. APOLLONIAE *dentes Lilieti ſemen.*

III.

Nympha Theatrales inter dùm ſtaret arenas,
Verberibus dentes perdere juſſa ſuos:
Neſcio quæ medio vox tunc emiſſa Theatro
Aut hos, aut pariles eſt dare viſa ſonos:
Quid iuuat immeritam, Lictor, torquere puellam?
Materies iræ non venit apta tuæ.
Perge tamen, neq; parce genis, neq; parce labellis,
Firma ſub hoc ſtatuit Martyr agone mori.
Nec metue armatam Cadmæo à ſemine meſſem,
Lilia de tali ſemine fundet humus.

In ignem ſponte pro Religione inſiluit.

IV.

Spectabat Virgo illuſtris ſibi buſta parari,
Phœnicis claro more parata mori:
Senſit vbi flammis crepitare ſonantibus ignem,
Carnificum lentas increpat illa moras:
Seque iacit ſaltu audaci, quà plurimus vndam
Flammarum mixtis ignibus æſtus agit.
Cúmque foret lapſu volitante leuiſſimus ignis,
Igne tamen leuior Virgo morante fuit.

D. APOLLONIA *Mutio Scæuolæ anteferenda.*

V.

Magnanimæ ſuprema parans tormenta puellæ,
Tortor in ardentem fert alimenta pyram:
Et flammas minitatur atrox, Procul abijce Chriſtũ,
Sin minùs, in medios abijciêre focos.
Virgo quid hîc faciat? paulùm de more reſiſtit,
Nec quid agat longâ conſulit illa morâ.
Inſiluit medias imperturbata fauillas,
Et terit attonitos calce, domatque rogos.

Ne mihi regnatas memoret jamScæuola flammas,
Hæc corpus, partem corporis ille cremat.
Nimirùm tantò minor est tua gloria, Muti!
Est quantò reliquo corpore dextra minor.

D. Apollonia *de suis ignibus.*

VI.

Non ego Vulcani timeo, sed Cypridis ignes,
Nam noceat sponso plus mihi sponsa suo.
Hæc vbi magnanimis dixisset Apollina verbis,
Nîl Decij illecebras, nîlque morata minas;
Ecce tibi! in flammas generoso fortiter ausu
Euolat, è flammis rursùs in astra volat.

X. FEBRVARII.

S. Gvilielmvs *C. Dux Aquitaniæ Cataphractus, sua scelera deflet.*

I.

Poeta.

Parce pios fodicante artûs incessere ferro,
In mediâ timidus pace quid arma geris?

Gvilielmvs.

Ah toties hoste armato deprensus inermis,
Nusquàm ego, ne rursùs vincar, inermis ero.

Poeta.

Cur validum lorica tegit durissima pectus?
Cur onerosa tuum cassida tempus obit?

Gvilielmvs.

Ferrea debuerant cingi præcordia ferro,
Tàm leue tàm grauido debuit ære caput.

POETA.

Cur agis excubias? Acies procul hoſtica, vel quæ
Iàm ſuperet, vel quæ jàm ſuperetur, abeſt.

GVILLIELMVS.

Vnicus Hoſtis ego, Dux, Miles & omnia ſolus,
Ipſe mihi infligam vulnus, & ipſe feram.

POETA.

Quæ noua pugnandi ratio? cùm deforet hoſtis,
Hoſte tibi duro durior hoſtis eras.

D. GVILLIELMVS *obiectâ ſibi à D. Bernardo ſacrâ Euchariſtiâ, humi prouoluitur.*

II.

Et titulis præſignis erat Guillelmus, & armis,
Mole ferox, vultu torridus, ore vorax.
Turpior inceſtu, quàm ſanguine clarus Auorum,
Quos maculis turpes fecerat eſſe ſuis.
Bernardus placidæ blandâ dulcedine vocis,
Et mollire trucem quâlibet arte parat.
Melle vngit, ſtimulis pungit, nihil ille moratur;
Et ſtimulos, & nîl felleus ille fauos.
Ergo, velut clypeo, munitus Numine dextram
Myſta, ſacras Templi reſtitit ante fores.
Hoc, ait, hoc iterùm repetēs, hoc improbe temnes?
Abrupit medios vox inopina ſonos.
Dux cadit attonitus, ſupplexq; humiliſq; precator,
In ſua iam tandem crimina faſſus iit.
Dextra reum tundit repetito verbere pectus,
Vnde priùs tanti fluxit origo mali.
Sic Chriſto præſente, ingens dum concidit Heros,
Cernitur ante agnum procubuiſſe leo,

D. BERNARDVS *aculeum melli inferit.*

III.

Numine munitus, validam velut Ægide dextram,
Terribili Myftes intonat ore minas:
Quique priùs mellitus erat, modò fulmine vocis
Heroem validâ voce fupinat humi.
Scilicèt inftar apis, dulci quæ nectare mellis
Tota madet, cùm res pofcit, acumen habet.

D. GVILLIELMVS à D. BERNARDO *perculfus.*

IV.

Stratus humi, Guillelme! iaces in terga fupinus,
Et premis ingenti corpore molle folum.
Te tonitru, te fulmen atrox, te fulgura terrent;
Hæc fiquidem Myftes vnicus arma mouet;
Namque manu geftans ipfum dominante Tonantẽ,
Vultu ardet, dextrâ fulminat, ore tonat

D. GVILLIELMVS *fuo cafu fublimior.*

V.

Qui priùs obiectâ præfentis imagine Chrifti,
Preffifti vaftâ mole caducus humum;
Sub pedibus nunc aftra vides fublimior aftris,
Et latè immenfo quidquid in orbe patet.
Qui te cafus humi fternens in terga fupinat,
Ardua fublimem faltus in aftra tulit.

In ftabulo piè fanctéque moritur.

VI.

Vifus erat priùs in ftabulo, Dux inclyte! nafci
Chriftus, at in ftabulo vifus es ipfe mori.

X. FE-

X. FEBRVARII.

S. SOTERIS *V. & M. nunquam sine velo nisi in suppliciis visa, faciem alapis caditur.*

I.

Diua, tuos retegis posito velamine vultûs,
Quasque oculus nunquam viderat ante genas.
Dúmque tibi duro quatitur bona Mala flagello,
Plurimus in nares sanguis, & ora fluit:
Scilicèt vt nullo non tempore flammea gestes,
Nuda verecundus vestiit ore cruor.
Hæc Venerem pigmenta decent, formosior esset,
Si foret hoc minio sæpiùs vsa Venus.

X. FEBRVARII.

S. SCHOLASTICA *V. pluuiâ à Deo impetratâ S. Benedictum fratrem suum abeuntem retinet.*

I.

Te voluit paucas, danti leue munus, in horas
Mœsta recusantem detinuisse soror.
At tu nec precibus, nec motus amore, negabas
Vsuram modicæ, Frater, auare moræ.
Illa suis oculis fletum imperat, audiit æther,
Et pluuias querulis fletibus addit aquas.
Ergo serenato detergens nubila vultu,
Innocuo Fratrem risit acuta ioco.
Non ego te remoror, poteris discedere, Frater,
Sit modò, naufragium ne patiare ratis.

Ad D. BENEDICTVM *de discessu à Sorore impedito.*

II.

Germanum retinere Soror dùm nititur, imbrem,
Non expectatâ currere iussit aquâ.

Ergo repentino labente per aëra nimbo,
Non potuit vetitâ Frater abire viâ
Nè dein inuitam fugias, Benedicte, Sororem,
Ilicèt hæc artem, quâ tenearis, habet.

D. BENEDICTVS *Sororis animam, in speciem Columbæ ad cœlum volantem conspicit.*

III.

Aurea dùm niueis petit astra Scholastica pennis,
Vt volat ad puros pura columba lares:
Quò sine me, Benedictus ait, Germana, recedis?
An comitem Fratri non licet ire tuo?
Iámque oculis erepta, leues transcenderat auras,
Nilque, quod vlteriùs conspiceretur, erat.
Si qua fides vero, nunquam magis ambiit alas
Dædaleas humeris Frater inesse suis.

X. FEBRVARII.

S. AVSTREBERTA *V. Parthenonis Præses, cùm sacras Virgines, nocte concubiâ è cubiculo ad Templum ire iussisset, cubiculum repente corruit.*

I.

Austreberta piæ felix Antistita turbæ
Præsidet, vt castis casta Diana choris:
Illa suas jussit, cælo monitore, puellas
Surgere de thalamis, nocte silente, suis.
Vixque sacram, subiere fores, quibus itur ad ædem,
Inclinata suo pondere tecta ruunt.
Felices nimium tali sub Præside Nymphæ!
Quis modò vos curam Numinis esse neget?
Nam dùm securo refouetis membra sopore,
Ecce vigil vobis excubat ipse polus.

XI. FEBRVARII.

S. SEVERINVS *Abbas Agaunensis Clodouæum Regem vili palliolo suo ipsi imposito à morbo liberat.*

I.

SÆua tuos, Clodouæe, lues grassatur in artûs,
Et medicam victrix ridet & odit opem.
At simul attritâ Senior te texit abollâ,
Pulsus ab ægroto corpore languor abit.
Regalis quam sponda fouet, quam stragula vestis,
Et quam Sidoniis coccina pota cadis,
Præcipiti festina gradu fugit horrida febris,
Vt primùm in lacerâ se videt esse togâ.

XI. FEBRVARII.

S. VICTORIA *V. & M. & Amoris & Diocletiani victrix.*

I.

Diua, tibi gemini superantur ritè Tyranni,
Et furor, & grauior sæpè Tyrannus, Amor.
Nam referat meritas quæ dignior altera lauros,
Quàm quæ Victricis nomina Virgo gerit?
Fidite Christiadæ, quidquid luctetur Erynnis,
Vos parta egregio gloria Marte manet.
Candida cùm vestris insit Victoria castris,
Nunquid in alterius castra triumphus eat?

XII. FEBRVARII.

S. ANTONIVS *Episc. Constantinopolitanus, adhuc puer, aras & ædiculas construit.*

I.

NON pueris, sed agenda viris Antonius egit,
Dum struit indocili parua sacella manu;

Quin etiam pia thura focis imponit, & aris,
 Votaque, quæ meliùs Thuris honore calent.
Tale rudimentum teneris puer edidit annis,
 Quique futurus erat grandior, inde probat.
Scilicèt Auroræ primo nascentis ab ortu,
 Qualis sit, fas est scire, futura dies.
Parue puer, sternacis equi, qui more rebellas,
 Et fugis excusso fræna, luposque iugo,
Hæc tibi jàm teneris peragenda decenter ab annis,
 Quæ sapiens velles esse peracta senex.

Ex eius corpore exanimi suauissimi odores afflantur.

II.

Fragrantes violas, & odori signa pudoris,
 Lilia sub casto pectore, Præsul, alis.
Nec Rosa, synceri typus est quæ verus amoris,
 Nec virtutum aliud nobile germen abest.
Vitâ nutrieras hos ante superstite flores,
 Nunc manet extincto flore superstes odor.

XIII. FEBRVARII.

S. POLYEVCTVS *M. vno impetu duodecim Deorum simulacra deijcit. Ad* DIVVM.

I.

CHrystiadum, Polyeucte, decus, qui vana deorū
 Spectra triumphali deijcis icta manu:
Si tibi quis toruæ domitorem conferat Hydræ,
 Roboris Alcides inferiòris erit.
Nam bissena domat bisseno monstra labore,
 Vno Bissenos vincis agone deos.

XIII. FEBRVARII.

S. MARTINIANVS C. *dùm mulierculam quæ à viâ exerrasse fingebat, casâ excipit, penè decipitur.*

I.

Pande fores, trepidæque Senex, miserere puellæ,
Quam procul à rectâ nox dedit ire viâ.
Sylua truces alit ista Lupos, Pardosque feroces,
Qui mea nocturno viscera dente vorent.
Et ferro, & triplici pectus tibi cingitur ære,
Si nostro lacrymas lætus in ore vides.
Namque quid, oro, times in inermi virgine? nullos
Incutiam, nullos sola puella metus.
Talibus illecebris, perjuræque arte puellæ,
Panditur exiguæ janua septa casæ.
Dúmque reformidat, ne præda sit illa Luporum,
Ipse Senex spurcæ fit prope præda Lupæ.
Namque vbi nox abijt, pulsisque Aurora tenebris
Affulsit croceâ conspicienda comâ,
Ecce tibi vario cultissima fœmina mundo,
Sollicitat pauidum voce, manuque Senem.
Constitit attonitus monstri nouitate, paratoque
Vrendum Senior corpus in igne rotat.
Quæ porrò insolitæ species inopina medelæ?
Quis modus hic, flammas, ne patiare, pati?
Successit tamen ille dolus, nam flamma resedit
Ocyùs, & victus ignis ab igne fuit.

Impurum Amorem terrâ marique fugitat.

II.

Quid scopulo insistis spurci fugitiuus Amoris?
Nunquid in hac tutum te fore rupe putas?
Illa quidem toto latè circumflua ponto
Extat inaccesso non adeunda situ.

Sed geminas puer ales habet, quas explicet, alas ;
Scilicèt vt nequeat nâre, volare poteſt.
Nec minùs eſt Cypriæ vis formidanda parentis,
Regnat in infido, quo fuit orta, mari.
Hei mihi! quo lateat pudor indeprenſus aſylo,
Si neque ſit terris, ſi neque tutus aquis ?

Delphinûm tergo in mari excipitur.

III.

Quæ plaga laſciui plagas vitabit Amoris,
Ipſa ſibi aduerſas ſi fouet vnda faces ?
Dicebam, mediis ignis non ardet in vndis,
Et tamen in medio flamma reperta mari.
Teſtis erit Senior nemoroſæ cultor eremi,
Qui petiit gelidas penè peruſtus aquas.
Stabat in aërio ſcopuloſæ vertice rupis :
Se tandem hâc tutum dum ſatis arce putat;
Ecce tibi medio monſtrum, ſed amabile, ponto
Enatat, effractâ ſalua puella rate.
Illa vbi ſurgentem proſpexit ab æquore rupem,
Inque alto rupis vertice ſtare Senem :
Spumea remigibus plaudit maris æquora palmis,
Et petit infidâ ſcrupea ſaxa viâ.
Expertæ Senior metuens incendia flammæ,
In medias præceps æquoris iuit aquas.
Delphinus celer approperat, tergumque natanti
Seſſile feſtinat ſuppoſuiſſe Seni.
Diſce pudicitiæ pretium, Mariana juuentus,
Ipſe pudicitiam ſi quoque piſcis amat.

XIII. FEBRVARII.

S. IORDANVS C. *Dominicanæ Religionis Præses, dùm Hierosolymam tendit, naufragio moritur.*

I.

Dùm Solymas Iordanus abit rate vectus ad oras,
  Ausa est indignum perfida lympha nefas.
Quamlibèt innumeris scelus indelebile sæclis
  Diluat, haud totâ se mare purget aquâ.
Nam passis per hiulca volat dùm marmora velis,
  Subsidit nimio pondere pressa ratis.
Vectores maris ima petunt, omnésque vorago
  Vna simul iuuenes hausit, & vna senes.
Hos inter tumidas fatur Iordanus ad vndas,
  Hei mihi dum surdis penè necatur aquis:
Mergite me reducem, properanti parcite, fluctus:
  Dixit, & extremos abstulit vnda sonos.
Infelix Boreâ, tumidarum terror aquarum,
  Quæ spolia ex illo funere tanta refers?
Turpe tibì fragilem pelago mersisse carinam,
  Ista reseruandum cymba vehebat onus.
At vos quos tetigit iusto iactura dolore,
  Sub tanto nuper Præside tuta cohors:
Nè vestri, nè flete, precor, pia fata Parentis,
  In medio portum repperit ille mari.
Nam nè fortè Senem terris via longa fatiget,
  Ocyor æquoreâ tendit in astra viâ.

XIV. FEBRVARII.

S. AVXENTIVS *Abbas Columbæ obsequio pascitur.*

I.

DIue statas epulas defert tibi Chaonis ales,
  Conuenit hæc animo pura ministra tuo.

Torquatæ accelerant ad candida tecta Columbæ,
  Sordida sit, nullas turris habebit aues.
Nempe tibi niueo candent sub pectore mores,
  Hæc candorem animi virginis Ales amat.

Paulo Coruus, Auxentio Columba ministrat.

II.

Ante niger tulerat Paulo sua prandia Coruus,
  Fert modo, Diue, tibi fida columba dapes.
Quas priùs emisit fluitante Noëmus ab arcâ,
  Has hominum famulas esse videmus aues.

XV. FEBRVARII.

SS. FAVSTINVS & IOVITA *Fratres, MM. statuam Solis, quam iubentur adorare, in cineres redigunt.*

I.

SVrgit adorandi moles radiata Colossi,
  Luce coronatum cincta micante caput.
Nobile par Pugilum tortor furialiter vrget,
  Dent Hyperionio thurea dona deo.
Non Solem, at Solis dominum, cælique potentem
  Dùm colit incuruo Frater vterque genu,
It procul in tenues, flammâ crepitante, fauillas,
  Et procul in cineres fictile numen iit.
Phœbe, quid immodicis luges Phaëtonta querelis?
  Damna peregrinis plùs sua quemque mouent.
Quam quondàm ambusti dederas in funere Nati,
  Nænia funeribus conuenit illa tuis.

Piis Fratribus sacram Eucharistiam sumentibus adsunt Angeli.

II.

Dùm sacrum, inuicti Pugiles, operatus ad aras
  Sacrificus vobis indit in ora cibum:

Accurrêre chori Superûm, data liba volentes
Rite ministerio condecorare suo.
Felices nimium! peragit dum sacra Sacerdos,
Alternante pias qui datis ore preces.
Huius enim officii si vos pudet esse Ministros,
Ipsis Cælitibus vos piget esse pares.

Gemini Fratres gladio occidunt, è quibus FAVSTINVS *Sacerdos*, IOVITA *Diaconus erant.*

III.

Sorte duo cecidere pari, par nobile, Fratres,
Nec mors dissociat, quos sociauit amor.
Faustinus prior ense cadit, quia munere Mystes,
Deinde Iouita pari morte, Minister erat.

XVI. FEBRVARII.

S. NICEPHORVS *M. in locum Sapricij Sacerdotis iam penè Martyrium subeuntis succedit.*

I.

IAm gladium intentat Lictor, jàm penè rotato
Turbine, Sapricij colla rescecta cadunt.
Proh scelus ignauum! falso data thura tonanti,
Qui Christi Mystes extitit ante, litat.
Nè tamen in cassum frameam strinxisse Satelles
Mœreat, aut placitâ stet sine cæde manus:
Nicephorus properat, alienaque præmia carpit,
Alter sementem fecerat, iste metit

XVI. FEBRVARII.

S. IVLIANA *V. & M. capite minuitur.*

I.

Sæpe pater teneræ fertur dixisse puellæ,
Dûm renuit pacti iûs sociale tori,

D v

Nata mihi Generum, debes mihi, Nata, Nepotes;
Per te súmque Socer, súmque vocandus Auus:
Virgo negat, Christoque fidem jurata maritam,
Postulat illæsâ virginitate frui.
At subitò in tumidas flammatus Eleusius iras,
Virginis est Tortor, qui fuit ante Procus.
Virgo volens moritur, nam cædua colla Tyranno
Tradere, quàm Sponso maluit illa manus.

Ad D. IVLIANAM *capite orbatam.*

II.

Quanta pudicitiæ cura est! postponis amantem
Tortori infenso, casta puella, Procum.
Alter amat te, Virgo, alter lethaliter odit,
Plùs odium alterius, quàm placet alter amor.
Ille quidem caput è roseâ ceruice resoluit,
Quâque solet reliquis parte corona geri:
Ast ideò immensum tibi danda corona per æuum,
Virgo, coronandum quòd cadat ense caput.

Ignes, quibus erat torquenda, lacrymis extinguit.

III.

Ardet inhumani violentiùs ira Tyranni,
His, quibus inijcitur Virgo cremanda rogis.
Astra verecundum conseruatura pudorem,
Spondebant latices officiosa suos.
Sistite, ait, pluuios, bona sydera, sistite rores;
Deflua sunt oculi sydera bina mei.
Hæc ait, & subitò lacrymarum depluit imbre,
Tactaque ploratâ flamma resedit aquâ.
I nunc, stulta cohors, & inanes congere flammas,
Vt labor in fumos irritus omnis eat.
Nam quibus extinguat quos frustrà accenderis ignes,
Fronte duos fontes cauta puella gerit.

XVII. FEBRVARII.

S. SABINVS *Episc. oculis captus venenum impunè bibit, Diacono qui illud miscuerat, prabibente ac moriente.*

I.

INfusum pateræ Senior videt esse venenum,
Nil oculo quanquàm captus vtróque videt.
Ille tamen fidens animi, sibi fausta precatus,
Ebibit audaci pocula sumpta manu.
Labitur illæsos penetrabile virus in artûs,
Nil tamen infusâ tabe, venena nocent.
At qui fraude malâ, dextrâque nocente, Minister
Toxica miscuerat, debuit ille mori.
Debuit, & factum est, nam nil nocitura Sabinus
Pocula dùm biberet, perbibit ille necem.
Nimirùm Antistes tectæ non inscius artis,
Prælibare suum iusserat ante scyphum:
Librauit geminas iusto Themis ordine lances,
Dùm necis artificem subdidit æqua neci.

Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Marc. 6. *Ad* D. SABINVM.

II.

Diue, necis domitor, cui mixto lurida succo
Toxica, lethiferam deposuêre luem:
Nil vobis oberit, si quid lethale bibatis,
Ad Proceres Christus dixerat ante suos.
Dum calici suffusum hauris sine fraude venenum,
Verum id, quod Christus dixerat, esse probas.

XVIII. FEBRVARII.

S. Helladivs Episc. Toletanvs, *relictâ quam administrabat, Republicâ, ad Monasterium Agaliense diuertit; ibique Dei famulis inseruit.*

I.

Helladivs fastu posito, famulisque relictis,
Septa petit sacræ relligiosa domûs.
Multus ibi Superis, cæloque simillimus hospes,
Innocuos vitæ cernit abire dies.
Hîc operam impendit solers, cererique coquendæ,
Inque auidos defert arida ligna focos.
His humeris; his, inquam, humeris sub pondere sudat,
Queis Regni nuper grande sedebat onus.
Sarcina magna quidē fuit vtraque, pondus vtrumque;
Sed tamen hoc grauius, gratius istud erat.

Literis, cùm posset, mandare nihil voluit.

II.

Tradere perpetuis victura volumina chartis
Helladius poterat, nobile mentis opus.
Sed tamen abstinuit, tacitisque inglorius annis,
Arcanas imo pectore clausit opes.
Non ideo cessator iners nil præstat agendo,
Sed peragit multis digna jacere libris.
Ille mihi visus melior, quicunque docenda
Factor agit, quàm qui scriptor agenda docet.

XIX. FEBRVARII.

S. Avxibivs Solvntis Episc. *cùm alium Auxibium sibi cognominem videret sub Quercu dormire, eiusque caput formicas in modum coronæ cingere, eum suæ dignitatis successorem auguratur.*

I.

Fortè sub iliceâ tibi vir cognominis vmbrâ,
Languida fortuito membra labore leuat.
Hîc tu frugilegas onerosæ fragmina molis
Formicas, oris forcipe, ferre vides:
Mox cursu auersas solito, cinxisse jacentis
Plebe coronatum circumeunte caput.
Hæc vbi vidisti, cœtus quas iste coronat,
Cinget, ais, meritas Infula nostra comas.
Euentum res acta probat, nam funera, Præsul,
Post tua, pascendas ille potitur oues.
Quid Dodonæas, antiqua oracula quercus
Consulitis longâ, turba profecta, viâ?
Myrmidonum exiguâ quæ contegit hospita gentẽ,
Aptior auguriis hæc modo Quercus erit.

XIX. FEBRVARII.

S. Conradvs Placentinvs C. *cuius aduentum cùm Syracusas relictis famulis, ad Antistitem iret, volucres prænuntiæ gratulatæ sunt.*

I.

Fortè Syracusiam gressum moliris ad vrbem,
Præsulis optato dum cupis ore frui:
Plurimus aduentum celebrat prænuntius ales,
Hospitaque arguto carmine tecta sonant:

Seruorum obsequium, sic dùm, Conrade, recusas,
  Ipsa tibi famulas sylua ministrat aues.

XX. FEBRVARII.

S. EVCHERIVS *Aurelianensis Episc. quem Carolus Martellus, Tudes dictus, variè vexat.*

I,

CAROLVS Eucherium tundit, crebrisq; retusum
  Ictibus, & crebris cladibus vsque premit:
His tamen Antistes durauit sæpè ferendis,
  Plurimaque æquanimi vulnera mente tulit.
Tudes erat Martellus, erat qui tunditur, Incus,
  Sæpiùs Incudem Malleus ipse ferit

Faces ad D. Eucherij tumulum accensæ sine dispendio lucent.

II.

Condiderat Libitina cauo jam membra sepulchro
  Pollinctórque suo munere functus erat.
Ardet inextinctum positi funale feretri;
  Nullaque perpetuæ damna tulere faces.
Vt tua te virtus terras clararit in omnes,
  Et toto immensum sparserit orbe decus,
Inconsumpta tuam, Præsul, quæ luxit ad vrnam,
  Tu facis indicio clarior huius eras.

XXI. FEBRVARII.

S. PIPINVS C. *Dux Brabantiæ, nudis pedibus apud Sacerdotem animum expiat.*

I.

RIte Sacerdoti pandit dùm menda Pipinus,
  Quodq; error fuerat, dùm putat esse scelus;

It ſupplex, nudúſque pedes, palmáſque ſupinus,
Et lacrymis ſpargit flens aſarota ſuis.
Cùm tu animum de more pias, fac vulnera nudes,
Fac animi nudes crimen, onuſque tui.
Nil ſoleas poſuiſſe juuat, ſi pectus opertum,
Crimina ſint latebris ſi male tecta ſuis.

In D. PIPINI *exequijs ardentes faces, nullo vento, licèt valido, extinguuntur.*

II.

Solemni tibi more frequens vrbs ritè parentat,
Et longâ incedit publica pompa viâ.
Lampades innumeræ flammis victricibus ardent,
Quas nullo extinxit grandior aura Noto.
Perpetuâ dùm luce faces, Dux Magne, fruuntur,
Signant perpetuâ te quoque luce frui.

XXII. FEBRVARII.

S. MARGARETA *Pœnitens, inſpecto domini, quem turpiter amauerat, cadauere, ad ſe, frugemque meliorem rediit.*

I.

ET domini mirata ſui, & miſerata cadauer,
Horruit, his ſubitò Margaris vſa ſonis:
Abſtulit ergo meos mihi mors feralis amores,
Et cinis eſt hodie, qui fuit ignis heri.
Hei mihi! quæ facies? quantum diuerſus ab illo,
Quo nihil in totâ pulchrius vrbe fuit?
Lingua tacet, languent oculi, manus vtraq; torpet,
Et glacie pectus, quod priùs arſit, hebet.
Qui Veneris modò pullus erat, molliſq; Columbus,
Victima nunc, Orco nil miſerante, jacet.
Ah! pudet, & doleo ſpurcum ſociaſſe cubile,
Et Veneri juuenes attribuiſſe dies.

Ille mihi primis qui crimen inufferat annis;
 Afferet heu! feram funere merfus opem.
Atque ita, dùm faueat votis modò Numen, ab vno
 Fortè mihi pariter vitaque morfque fluent.
Dixit, & in melius verfo primæ ordine vitæ,
 Emaculat lacrymis priftina probra fuis.
Vos quibus eft curæ perituram comere formam,
 Et croceas libyco pectere dente comas,
Sæpiùs hoc fpeculum fi confuleretis, Amantes,
 Tunc vitreo vobis nil opus orbe foret.

XXIII. FEBRVARII.

S. LAZARVS *C. quas Diuorum Iconas Theophilus Imperator deformat, ipfe pingendi arte peritus reparat.*

I.

INdigetes, fua quos virtus tranfcripferat aftris;
 Pingit, Apelleæ Lazarus artis opus.
Et quamuis furiata Erebi bacchetur Erynnis,
 Ingenij fpecimen non minùs ille dedit.
Nam ferro effigies quas radit, & igne Tyrannus,
 Præpetis inftaurat fedulitate manûs.
Diue, animes doctis Diuûm licet ora figuris,
 Effinxifti animo doctiùs ante tuo.

Ad D. LAZARVM *Pictorem.*

II.

Vt mea te viuis pictura coloribus ornet,
 Peniculi vfuram da mihi, Diue, tui.
Sed quid ego calamis te pingere, Lazare, tentem?
 Vel quid carminibus dicere poffe meis?
Pingere te calamis folus fuit aptus Apelles,
 Dicere carminibus folus Apollo fuit.

XXIV. FEBRVARII.
S. MATHIAS APOSTOLVS *capite minuitur.*

I.

CEruicis, capitisque minor, cadis icta securi
Victima, carnifices jussa subire manus.
Quas lauro implicitas Lictor tulit ante secures,
Hæc tibi, Diue, tuum subsecuêre caput.
Debueras partire vices, tibi debita Laurus,
Debita Lictori sola Securis erat.

XXV. FEBRVARII.
S. TARASIVS *Constantinopolitanus Episc. Constantino Imperatori legitimam Vxorem repudianti sese opponit.*

I.

IN vetitos, spreto Augustæ regnantis amore,
Destinat Augustus turpiter ire toros.
Tu, Tarasi, obsistis victor furialibus ausis,
Conscia nè tantum cerneret aula nefas.
Sic dominum attonsæ cessit diadema coronæ,
Sic pastoritio regia sceptra pedo.
Ilicèt infames puris ab ouilibus hircos,
Nec solos abigit virga verenda lupos.

TARASIVS *suam dignitatem virtutum splendore illustrat.*

II.

Infula Chrysolithis plerumque micantibus ardet,
Quæ pastoritias ambit, obitque comas:
At tu illam, Tarasi, gemmis melioribus ornas,
Dum virtutum omni luce corusca nitet:
Nempè aliis decori sunt, quos potiuntur, honores,
Tu decus ipsius, Præsul, honoris eras.

XXVI. FEBRVARII.

S. PORPHIRIVS *Gazensis Episc. à Christo inuitatus ipsius Crucem tulit.*

I.

TE sibi cernendum Christus spectabilis offert,
Et partita Crucis pondera ferre dedit :
Nec labor ille grauat, nec eo sub fasce laboras,
Sed leuis est humeris sarcina visa tuis.
Idque probas verum, quod amanter dixerat olim,
Dixerat esse suum cùm leue Christus onus.

S. PORPHIRIVS *Veneris statuam in ignem conijcit.*

II.

Vidit vt Idaliæ Præsul simulacra Diones,
Protinùs in medios iussit abire focos :
Dúmque ignem versátq; Senex, flammámq; lacessit,
Et crepat irato dùm Cypris vsta rogo :
Sæpiùs impuro licèt arseris, inquit, ab igne,
Hoc ardere magis te tamen igne puto.

S. PORPHIRIVS *piè iocatur in Venerem, dùm eius statuam comburit.*

III.

Artifici Cytherêa manu depicta nitebat,
Qualem per medias concha vehebat aquas.
Suspicit attento Senior dum singula visu,
Vidit ab excelso pendula signa tholo :
Vidit, &, æquoreis vt sis, ait, edita lymphis,
Effugies flammas non tamen vda meas.
Dixerat, & Paphiæ sapiens simulamina Lenæ,
Misit in agnatos, busta parata, focos,

Ecquid ait, mœchum sectaris adultera Martem ?
Sis casta, & sponso jungere sponsa tuo.

Aliud de eâdem statuâ.

IV.

Porphirius Veneris statuam jaculatus in ignes,
Verba intermistis addidit ista iocis :
Sæpè quidem sordes tibi turpis inusserat ignis,
Lucis enim nitidæ nîl tuus ignis habet :
At quascúnque alio quondam contraxeris igni,
Protinùs has maculas eluet ipse focus.

XXVII. FEBRVARII.

S. ATHANASIA, *à coniuge Andronico profuga, ad eundem ignota, & regreditur & moritur.*

I.

TVtiùs vt visat Solymam, suadente Marito,
Mentitum induerat fœmina cauta virum :
Iámque maris permensa vias, terræque labores,
Rursùs ad aspectum Côniugis illa redit.
At sexum celata redit, nam cognita nulli,
Ipsa suum nouit dissimulata Virum.
Iamque alter geminis annus succedere lustris
Cœperat, vnanimes cùm coluere lares.
Morte pii patuêre doli, nam Fœmina paret,
Vir priùs assumpto creditus esse sago.
Quando pudor securus erit ; sat fœmina tutam
Si neque cum proprio se putat esse viro?

XXVIII. FEBRVARII.

SS. LVPICINVS & ROMANVS, CC. *Fratres pudorem tutaturi syluas incolunt.*

I.

HOrrentem, Fratres gemini, petiistis eremum,
Ne vos in mediâ vinceret vrbe Venus.
Illa procul cessit, saltusque exosa iugosos,
Nè minimâ afflauit pectora vestra face.
Vrbibus in mediis habitat Cythereïa mater,
Incolit ingenuus rustica tecta pudor.
Tu tenero quicunque volens succumbis Amori,
Prompta cupidineo subtrahe colla iugo.
Et puer est Cypridis soboles, & fœmina Cypris,
Fœmina te-ne potest vincere, te-ne puer?





MENSIS MARTIVS.

PRIMA MARTII.

S. SVIBERTVS VVERDENSIS *Episc. In cuius matris lectum, dùm ferret vterum, stella visa est delabi.*

I.

NOX erat, & placido furtim lenimine gliscens
Attulerat curis otia blanda sopor:
Ecce per aërios longùm clarescere tractûs
Visa serenato stella refixa polo,
Inque torum attonitæ matris placidissima labi,
Stragulaque innocuo lambere tuta globo.
Nascere, parue Puer, claris natalibus ortum
Nemo neget, tantùm nascere, parue Puer.
Fax ortûs præit ista tuos, spectabile cunas
Numinis atque hominis prodere sidus amat.

Puerum naufragum ad vitam reuocat, ipsius matre frustrà in auxilium Martem inuocante.

II.

Fortè puer vitreas ludit malè cautus ad vndas,
Et rudis insidam tyro flagellat aquam;
Mergitur, & liquidum penitùs delapsus in æquor,
Mœsta voraturis piscibus esca natat.

Mater adest, plangensque cauis sua pectora palmis,
Gradiuum querulis vocibus orba vocat.
Arma inter, lituósque deus nîl Thracius audit,
Surdaque maternas dissipat aura preces.
At matrem, & matris miserans Suibertus amores,
Suppeditat, quam Mars ferre recusat opem.
Nam vitæ reddit puerum, redditque parenti;
Fitque parens puero læta, parente puer.
Cur Martem, miseranda parens, in vota vocabas?
Non is, subsidium qui tibi ferret, erat.
Mortis amat Mars ire comes, vitámque peremptis
Qui toties rapuit, non solet ille dare.

Ad matrem pueri naufragi.

III.

Dùm vagus infidæ puer æquora præterit undæ,
Lubrica deceptum ripa fefellit iter.
Pes titubat, dubioque tremunt vestigia lapsu,
Et ruit in rapidas sarcina tristis aquas.
Iamque superfusas subiit puer æquoris vndas,
Inuito liquidam dùm bibit ore necem.
Fama volat, matrisque pias allabitur aures,
Illa ruit, laceros imbre rigante sinus.
Ploratas quid perdis aquas, improuida mater?
Obrutus est nimiis, quem lacrymaris, aquis.

I. MARTII.

S. ALBINVS *Episc. Andegauensis cæcis vsuram lucis reddit.*

I.

Noctem oculis, Albine, fugas, quam vincere nullus
Sol potuit, nullæ quam potuêre faces.
Sic face splendidior, sic sole micantior omni
Illustras radiis lumina cæca tuis.

S. ALBINVS *& procaci militi mortem, & extincto puero vitam affert.*

II.

Soluere compedibus tentas, Albine, puellam,
Quæ dudum indigno carcere clausa gemit.
Barbarus obsistit Martis, Venerisque satelles,
Quem grauiore tenax compede nectit amor.
Nimirùm insidias luso Pastore parabat
Prædo lupus, captam glubere certus ouem.
Non ita; námque animam miles miserabilis efflat,
Mergendus Stygiis, quem Venus vssit, aquis.
At dùm Leno procax voto frustratus inani,
Fœda repentinâ crimina morte luit:
Qui priùs occiderat, multò felicior alter,
Diue, tuam iussus viuere sensit opem.
Sic vitam extinctis affers, viuentibus aufers;
Paret & imperio vitáque mórsque tuo.

S. ALBINVS *peregrè ex obedientiâ profectus, furenti imbre madentibus cæteris, ne minimâ quidem guttâ aspergitur.*

III.

Dùm medios ita iussus agros, Albine, pererras,
Non expectatâ decidit imber aquâ.
Nulla tuas tetigit tenuissima guttula vestes,
Dùm comites pluuio permaduêre Ioue:
Scilicèt è cœlo sapiens delabitur imber,
Parcere virtuti nouerat ille tuæ.

II. MARTII.

S. CEADDA *Merciorum Episc. cùm tonaret, extremi iudicij reminiscebatur.*

I.

Horrifico quotiès cœlum tonat omne tumultu,
Attonitus trepidâ mente Ceadda pauet.

Nimirùm occurſat triſtiſſima lucis imago,
  Vltima quæ mundi meta ruentis erit.
Ne tibi ſint olim, tibi ſint modò fata timori,
  Non etenim mortem, qui timuere, timent:
Vel certè vt pauidum ſoluas formidine pectus,
  Exiget ad libram cùm tua facta Deus.
Quæ moriens infecta velis, nè perfice, Lector;
  Perfice, quæ moriens facta fuiſſe velis.

Ad D. CEADDAM, *cuius ad tumulum ægri conualeſcunt.*

II.

Agmine languentûm longo, triſtique catervâ,
  Ambitur cineres quæ regit vrna tuos.
Nec fruſtrà, nam morte procul diſcedere iuſſâ,
  Lethiferas cohibet Parca coacta manûs.
Ergo tuum ad tumulum properè ſe conferat æger,
  Quicunque à tumulo vult procul eſſe ſuo.

III. MARTII.

S. VINVALOCVS *C. effoſſum ab Anſere oculum Sorori reddit.*

I.

DVM volucrẽ mulcere manu, dir pectere gaudet,
  Inque ſuo lenis virgo fouere ſinu;
Expulit antiquos nec-opina ferocia mores,
  Quanta neque impaſti vulturis eſſe ſolet:
Nam prædone oculũ rapit vngue famelicus Anſer,
  Et roſtro inſolitum glutit hiante cibum.
Dat lamenta ſoror, lacrymas dat ſoſpes ocellus,
  Dùm ſine ſe Fratrem cernit abeſſe ſuum.
Protinùs informem ſub inani fronte lacunam
  Germano oſtentat luſca puella ſuo.

Quid faciat? quo raptum orbem medicamine sanet?
Quove salutarem germine præstet opem?
Ignotas animum Frater conuertit ad artes,
Et dat opem, quà tu vix dare posse putes.
Anseris in geminas ferro secat ilia partes,
Scrutatúrque habili sedulus exta manu:
Extorrémque oculum dextrâ inuentrice recepit,
Atque aptè vacuis indit, vt ante, genis:
Et prædatricem, plagâ coëunte, volucrem
Iussit ad agnatos rursùs abire greges.
Iure oculum loculo reddit, nam clausus in aluo
Anseris, in proprio non erat ille loco.

III. MARTII.

S. KVNEGVNDIS AVGVSTA, *in suspicionem violatæ pudicitiæ adducta, ferrum candens impunè calcat.*

I.

Testatura suum Princeps Kunegunda pudorem,
Instruit intrepidos ad noua bella pedes.
Cæsar humum jubet ignitis candescere lamnis,
Vt probet irruptam Regia nupta fidem.
Iam ferro candente sôlum, jam strata rubebant,
Imperturbato mox adeunda pede,
Illa, nihil remorante metu, sed conscia veri,
Fertur in attonitos virgine calce rogos.
Calcatas inopina tenet reuerentia flammas,
Nec calor, at remanet solus in igne color.
Si pactam violasse fidem, me, Sponse, vereris,
Signa pudicitiæ sint, ait, ista meæ.
Quantus amor recti est! propriæ qui furta Maritæ
Detegit, hanc castam Mulciber esse probat.

E

Ad D. KVNEGVNDIS *tumulum multi reuiuiſcunt.*

II.

Nulla tibi ſoboles caſto prognata cubili,
At lucem, vſurâ lucis egena dabas:
Nam multis, ſacræ auxilium dùm poſcitur vrnæ,
Ad rediuiua redit corpora vita redux.
Dant aliæ, dùm vita manet, ſua pignora matres,
Tu, tua poſt etiam funera, mater eras.

IV. MARTII.

S. CASIMIRVS C. *Regis Poloniæ filius voluntariâ afflictatione corpus macerat.*

I.

EDite nobilium de germine ſurcule Regum,
Penè per innumeros vſque ſuperſtes auos:
Purior es (ſi lacte poteſt quid purius eſſe)
Purior es puro lactee lacte puer.
Cur tamen hirſutis laniatus membra flagellis,
Proh dolor! immiti te pietate necas?
His niſi ſuppliciis, Caſimire, peperceris vltrò,
Non dabitur longos vita fruenda dies.
Si tibi ſunt odio quæ ſic corpuſcula vexas,
Crebriùs vt ferias, parciùs illa feri.

D. CASIMIRVS *in ſe piè crudelis.*

II.

Dùm tu ſæuitiâ dulci, dulcedine ſæuâ,
Dilanias duris mollia membra flagris:
Nec lac, nec graciles ſanguis merus irrigat artûs;
Lac eſt ſanguineum, lacteus ille cruor.

D. CASIMIRVS *suo sanguine & lacrimis perfusus.*

III.

Auroræ tibi credo rosas, digitósque fuisse,
Sanguine dùm roseam cerno rubere manum.
Auroræ tibi credo oculos, gemmásque fuisse,
Dùm pluuias pluuiâ diuite cerno genas.
O Superi prohibete nefas, ne nobilis imber
Serpat in immundam pondere tractus humum.

Aliàs.

Si flos è lacrymis visus, si sanguine natus,
Lilia sint lacrymæ, sit cruor ille rosæ.

D. CASIMIRVS *humi noctu cubitat.*

IV.

Stratus humi pia mēbra cubas, placidéq; quiescis,
Si tamen hoc thalamo possit inesse quies:
Molliùs esse quidem fateor potuisse pudorem,
Tutiùs esse alio non potuisse toro.

Ad D. CASIMIRVM *sanguine suo purpureum.*

V.

Murice quæ tincta est, hanc sanguinis inficis ostro,
Indueris dibapham sic, Casimire, togam.

D. CASIMIRVS *mauult vitam quàm Virginitatem amittere.*

VI.

Languor edax, Casimire, tuos depascitur artûs,
Inque ipsos crescit flamma, febrísque dies.
Nulla Machaonij prosunt medicamina succi,
Et data per medicas pharmaca nulla manûs.

Triſtantur Proceres, lamentantúrque parentes,
Flent famuli, plangit Regia, ſceptra dolent.
Morbus erat ſolâ Veneris medicabilis arte,
Deterior morbo viſa medela fuit.
Ite procul Veneres, procul ite Cupidinis ignes,
Hoc pretio non eſt, inquit, emenda ſalus,
An Venus, an Veneris nobis laſciua propago
Profuerint, reliquis quæ nocuiſſe ſolent?
Dixit, & occubuit generoſo Sarmata fato,
Tanta verecundi cura pudoris erat!
Qui pubeſcenti præreptus ephebus in æuo,
Ante ſuum voluit caſtus obire diem:
Dignus is eſt longo qui ſæcla in poſtera curſu,
Vſque hominum calamis viuat, & vſque ſonis.

Ad D. CASIMIRVM *præmaturè morientem.*

VII.

Aut morere, aut niuei labem patiare pudoris,
Tale Machaonii dogma dedêre Senes.
Nec vitam retinere potes, nec, Diue, pudorem,
Alterutro, at nequeas ſaluus vtroque frui.
Elige, vtrum mauis, gemini datur optio voti,
Vitæ hoſtis pudor eſt, vita pudoris erit.
Eligis, & vitæ ſtatuis præferre pudorem,
Vita minùs chara eſt, quàm tibi, Diue, pudor;
Nam mihi cur vni vitam Venus afferat, inquis,
Quæ totiès aliis attulit vna necem.

De immaturâ D. CASIMIRI *morte.*

VIII.

Eſſe quid hoc dicam, primis quod ſæpè ſub annis
Interit eximius præcoce morte Puer;
Longaque cùm ſapiens mereatur ſæcla iuuentus,
Contigit in vitæ limine ſæpe mori?

Id factum, Casimire, probas, quem pollice duro,
Demetit ante suum mors properata diem.
Nimirùm hôc Superi properant decerpere florem,
Quo solet à tenerâ virgine more legi.
Illa suis pictum lustrat dum floribus hortum,
Mollis vbi vario germine vernat humus:
Sicubi præ cunctis pulcherrimus exerit altum
Flosculus ornatu versicolore caput,
Hunc legit affectans, reliquísque senescere iussis,
Huius ámat nitidum præripuisse decus.
Mos ille & Superis, sunt hæc viridaria Diuûm
Scilicèt, & flores hinc sibi sæpè metunt:
Téque adeò, Casimire, ardent decerpere, nec flos
Pulchrior in terris qui legeretur erat.

V. MARTII.

S. CONON *M. Parentes suos Christo genuit.*

I.

VIuere pro Christo Conon vtrúmque parentem,
Pro Christo edocuit rursùs vtrúmque mori.
Antè breuem puero vitam tribuêre parentes,
Æternam à puero cœpit vterque parens.
Sic puer acceptis multò meliora rependit,
Nam tantùm in terras editus, astra dedit.
Sæpiùs à senibus pueri potuêre doceri,
A puero potuit discere sæpe senex.

S. CONON D. MICHAELE *vitæ instituendæ Præceptore vtitur.*

II.

Ætheræ Michael Princeps pulcherrimus aulæ,
Cononem vitæ dogmata ritè docet.
Ille quidē puer est, sed quidquid olympicus Hermes
Præcipit, attentâ sedulus aure bibit.

Hunc modò si quereris fortasse deesse Magistrum,
Hunc ego Discipulum iure deesse queror.

VI. MARTII.

S. COLETA V. *cui puer* IESVS *cum Matre se spectabilem exhibuit multis plagis læsum, quas puer à pueris accepisse questus est.*

I.

Diua, cui Superûm vel adhuc tellure moranti
Non semel indigetum contigit ore frui;
Se tibi spectandam dederat cum Virgine Proles,
Edita quæ Proles Virgine Matre fuit.
Tristis erat Proles, & erat tristissima Mater,
Iustaque tristitiæ causa duobus erat.
Nam rigidis Pueri corpuscula cæsa flagellis,
Maternum implerant sanguinolenta sinum.
His, ait, his lacerat me sæua Puertia plagis,
Grandiaque infligit vulnera, parua manus.
Dixerat, & lacrymis diuina per ora volutis,
Vbera pressatur Matris ad alma Puer.
At tu sacrilegæ scelus auersata Iuuentæ,
Audita es simili voce, Puella, queri:
Quæ Superis bella indicent, gens vasta, Gigantes,
Si breuis in cælum Pumilus arma mouet?

VII. MARTII.

S. THOMAS AQVINAS C. *arrepto titione impuram mulierculam abigit.*

I.

Parthenios Thomas internitet vnus Ephebos,
Cynthia nocturnas inter vt vna faces.
Sæpè quidem tenero Venus insidiata pudori;
Nil tamen insidiis proficit vsa Venus.

At simul angusto iuuenem sub carcere sensit,
  Non fugiet nostras nunc, ait, ille manûs.
Vt partem eludat, non omnia spicula fallet,
  Quæ meus instructâ fraude vibrabit Amor.
Ergo vnã, (nam mille aderant) vocat illa Ministrã,
  Et puerum blanda præcipit arte capi.
Illa subit iussæ secreta cubicula cellæ,
  Tentatura suis cor puerile dolis.
Vidit vbi Paphiæ castus Puer ora Puellæ,
  Vt fugit accipitrem pura columba, fugit.
I procul; i iuuenis, chari fuge damna pudoris,
  Sed via festinæ non patet vlla fugæ.
Tela manu, rape tela, Puer, sed nulla modestus
  Corripienda manu repperit arma Puer.
Ergo meus, moriere, Pudor sine vindice, dixit,
  Nec mihi suppetias qui ferat, vllus erit?
Ite citi, properate, precor, succurrite, si quem
  Fortè verecundi tangit honoris amor.
Ite citi, clamat, sed inani murmure clamat,
  Nullus ad oratam currit amicus opem.
Anxius intento circumspicit omnia vultu,
  Si qua sit auxiliis apta sagitta suis:
Torris in ardenti restabat fortè camino,
  Hæc rapit, hæc timidus suggerit arma pudor.
Et procul elato telum titione coruscat,
  Lasciuæ intentans hæc calamistra lupæ.
Rerum ordo mutatus abit, quis crederet vnquam
  Posse abigi Cyprios hâc procùl arte dolos?
Admotis aliàs crescebat ab ignibus ignis;
  Ignis hîc admoto pulsus ab igne fuit.

D. THOMAS *solem depictum gerens in pectore.*

II.

Sol nouus insedit, Thomâ, tibi nobile pectus,
  Diffunditque suas in latus omne faces.

Dum tot inesse tuo sub pectore lumina cernit,
Forsan ibi cælum credidit esse suum.

VII. MARTII.

S. EQVITIVS C. *malum Genium è virginis velatæ corpore abigit, quem lactuca insidentem non præmisso Crucis signo glutierat.*

I.

Lactucæ insidens foliis subit improbus hospes
Virginis incautam, buccea fœda, gulam.
Tænarium hospitio proscribit Equitius hostem;
Et iubet ad proprios rursùs abire lares.
Quanquàm illum facili, paruóque labore fugarit,
At leuiore tamen Pluto fugandus erat.
Nam Cruce depictâ, laruam quàm tecta subiret,
Antè leui poterat pellere Virgo manu
At tu quisquis is es, læto qui rure vagaris,
Et pede qui flores luxuriante teris:
Hortorum vita insidias, deceperat Euam
Pomus, nunc Monacham triste fefellit olus.

VIII. MARTII.

S. PHILEMON *M. dùm adhuc Ethnicus loco Apollonij Christiani, sibi suisque viribus diffidentis sacrificat, repentè ad Christum conuertitur, & palo affixus, telis impetitur.*

I.

DVM Venerē incenso veneratur thure Philemō,
Et Martem & vani numen inane Iouis:
Sumptóque in pretium (nam sic conuenerat) auro,
Munus Apollonii dissimulanter agit;

Missilibus tactus radiis & cælite flammâ,
Deuouet incestos, sacra profana, deos.
Et primùm pluuiâ tinctus, mox sanguinis vndâ,
Sacrilegum gemino diluit amne nefas.
Mox trunco affixus tereti, mandante Tyranno,
Meta pharetrati Militis esse datur.
Exerrat, relegítque viam lethalis arundo,
Inque oculos cæci Iudicis acta redit.
Nimirùm refugâ felix fuit error in hastâ,
Si non errasset, fecerat illa minùs.

IX. MARTII.

SS. QVADRAGINTA MARTYRES SEBASTENI, *rigente hyeme, in lacu gelido pro Christo collocantur.*

I.

ECce quaterdeni Herôes, lectissima pubes,
Hyberno subeunt flumina vincta gelu.
Experti quos ignis habet, quos terra furores,
Iam superest rigidæ nîl nisi frigus aquæ.
Dùm tolerant hyemale gelu, totumque Decembrē,
Prægelidum Thermas dixeris esse vadum.
Sed tamen è tantâ pars exiguissima turbâ
Linquitur, & numerum deplet adempta suum.
Nam Christi, & gelidæ desertor perfidus vndæ,
Insiluit tepidam, quæ prope stabat, aquam.
Aliger intereà memori delapsus Olympo,
Serta coronandis frontibus apta gerit:
Sed tot serta gerit, quot pectora nescia flecti;
Durarunt rigidas ampnis inertis aquas.
Viderat id tepidæ Custos qui præsidet vndæ,
Et prompto Aligerum protinùs ore vocat.
Quære quadragenam, quæ deficit vna, coronam;
Pars ego sum titulis annumeranda tuis.

Dixit, & in gelidas collo tenus abditus vndas,
Et mortem, & mortis præmia digna tulit.
Antè tamen superas quàm spiritus iret in auras,
Voce dedit similes deficiente sonos:
Si quem tangit amor laudis, properate; coronas
Pro numero Pugilum prouidus Ales habet.

Ad Fidei, & sociorum desertorem in thermis extinctum.

II.

Mortem dùm fugeres, reperisti, Transfuga, mortē:
Dic mihi, quid lucri est, ne moriare, mori?

Sacris Athletis tibiæ franguntur.

III.

Nequicquam impietas tormenta per omnia sæuit,
Martyribus cædi dùm quoque crura iubet:
Poplite succiso, & fractis quæ viribus ibat,
Ocyùs ad cælum currere visa cohors.

MELITHONEM, *vnum è quadraginta Martyribus, spirantem adhuc, reliquorum cadaueribus mater superinijcit.*

IV.

Postquā magnanimi Proceres, cælo inclyta pubes,
Et vitam, & gelidos deseruere lacûs;
Lictor, vt in cineres abeant tenuésque fauillas,
Misit in ardentes corpora nuda pyras.
Solus erat matri Melithon charissima proles,
In gelido Lictor quem sinit esse vado:
Dignus hic est, qui viuat, ait, sociísque superstes,
Vna sit & soboles matris, & vnus amor.
At testata mares animos generosa virago
Obstitit, & voluit Martyris esse parens.

Nam gremio viuum Nati complexa cadauer,
Imposuit rapidis strenua mater equis,
Vt soboles consors comitum, similísque suorum,
Ardeat extremo corpus inane rogo.
Quin etiam incusans vterum succenset inertem,
Quòd numerosum olim non peperisset onus.
Nimirum optasset tumuisse frequentiùs aluum,
Pluribus vt natis panderet astra parens.

Matris Melithonis virilis animus,

V.

Viderat in gelidâ Natum superesse lacuna,
Plusquàm fœmineo robore fulta parens.
Illa immota diu, magnóque exterrita casu,
Prosilit, & glaciem mota dolore petit;
Impositúmque humeris morientē è flumine Natum
Extulit, & plaustro pondus inesse dedit.
Mox nec scissa comas, tristem nec pallida vultum,
Fœmina fortunâ fortior ipsa suâ;
Nate, ait, egregium Fidei per sæcula nomen,
Quàm non degeneri funere, Nate, iaces!
Amne triumphato, flammas quoque, Nate, triūpha;
Et Martyr turmæ Martyris esto comes.
Sic ait, & Natum in flammas dùm fertet Amazon,
Clarior est animo, quàm foret igne Puer.
I nunc, fama loquax, matres extolle Lacenas,
Plùs animi hæc Mater, plùs quoq; laudis habet.

Ad MELITHONEM.

VI.

Laurigeræ appendix, Melithon, dignissima turbæ,
Imposuit bijugis te, tua Mater, equis:
Nempe triumphantûm ritu, quò victor ouares,
Debitus vt reliquis, sic tibi currus erat.

IX. MARTII.

S. FRANCISCA *Romana ad coruſcantem Angeli Tutelaris vultum, Virgineas preces noctu recitat.*

I.

Abſtulerat ſolitum rebus nox atra colorem,
Iámque inerat toto nullus in orbe color.
Ad iubar ætherei quod fulget ab ore Miniſtri,
Diua ſtatas recitat, certa tributa, preces:
Nam flammæ abſiſtuht oculis, radiique capillis,
Cæſarie rutilas eiaculante faces:
Illa nihil ſolis radios, nil lumina curans,
Narratur paribus ſæpe locuta ſonis:
Phœbe, tuos oculorum orbes, tua lumina claude,
Dummodò ſol oculis luceat iſte meis.

X. MARTII.

S. CODRATVS M. *à defunctâ matre, in cunis relictus, ab Angelis educatur.*

I.

MOlliculus gremiũ qui Matris,& vbera clamat,
Lac etiam Superis cœtibus eſſe ſciat.
Teſtis eris, Codrate, tuâ puer orbe parente,
Dùm tener in cunis, munere lactis eges:
Nam fouet implicitum gremio te concaua nubes,
Cælituumque dapes vberis inſtar alunt.
Cùm cæli ſapidos puer hauſeris ore liquores,
Quis tibi dein cælum non ſapuiſſe putet?

Ad S. CODRATVM *cæli alumnum.*

II.

Orbatus jam matris eras, te ſubdita nubes
    Excipit, & tepido calfacit alma ſinu;
Téque pruinoſi ſenſim ſtillantia cæli
    Sydera, Nectarei munere roris alunt.
Penè optanda tibi fuerat iactura parentis,
    His cunis, hoc ſi lacte fouendus eras.

Eò loci vbi CODRATVS *cum Sociis capite truncatus eſt, terra fontem emiſit.*

III.

Hîc vbi carnificum ſubmittere colla ſecuti
    Pro Chriſti iuſſa eſt nomine lecta cohors,
Terra repentinum fudit miſerata liquorem,
    Hoc Pugilum fleri funera rore putes.
Dùm tamen in pœnas ardent, hâc fontis in vndâ,
    Chriſtiadum non eſt pulſa, ſed aucta ſitis.

XI. MARTII.

S. PELAGIA *M. cum binis filiabus item M M. tutandæ pudicitiæ cauſâ vltrò in flumen delapſa.*

I.

HÆC ſibi quæ nomen Pelagi de nomine traxit,
    Ibat cum geminâ prole pudica parens:
Ibat, inhumani quò iuſſerat ira Tyranni,
    Prô ſcelus! Idaliis victima danda ſacris.
Ventũ erat ad rapidas, vallũ inſuperabile, lymphas,
    Hîc vbi nulla ratis, pons vbi nullus erat.
Hæſerunt geminæ mœſtâ cum matre ſorores,
    Hæſit cum geminâ mœſta ſorore parens.

Quid facto, inquit, opus? stamus? tergo imminet hostis:
Pergimus? iratas obijcit amnis aquas.
Aut vitæ, aut nobis instat jactura pudoris,
Charior est ipsâ sed mihi luce pudor.
Dixit, & in tumidas, Nymphis comitantibus, vndas
Insilit, intrepido mater honesta gradu.
Vincitur in proprio sic Cypris adultera regno,
Nescia patronas esse pudoris aquas.

XII. MARTII.

S. Gregorivs Magnvs *Pontifex Maximus.*

I.

MArmoribus sua facta alij, sua stẽmata sculpãt,
Stẽma tuũ, breuis hęc syllaba, Magnus eras.

D. Gregorivs *sub egeni specie Christum excipit.*

II.

Assumpto latitans sub egeni schemate Christus,
Non semel est mensæ visus adesse tuæ:
Cur modò nobiscum non is conuiua recumbit?
Fortè putat lautas non satis esse dapes?
Nõ hæc causa subest, nostris quòd ab ædibus absit,
Lautitias cupidæ non amat ille gulæ.
Nostra etiam celebret jàm nunc conuiuia Christus,
Si modò conuiuam qui vocet, hospes erit.

XII. MARTII.

S. Isidorvs C. *Dùm precibus vacat, eius loco arant Angeli.*

I.

Succedunt, variántque vices, alternaque mutant
Munia, dúmque orat Rusticus, Ales arat.

Vt largas tibi reddat ager cum fœnore messes,
Diue, vaces precibus sæpè, diúque tuis:
Nam, puto, quam superi stiuâ coluêre Coloni,
Illâ fertilior non erit vlla seges.

Ad D. ISIDORVM.

II.

Percurris dum mente polos, Isidore, piámque
In tua sollicitas vota Tonantis opem:
Non ideò requiescit ager, sed amœna iugatis
Agricola æthereus iugera bobus arat.
Mutat vterque vices, cælíque solíque colonus,
Alter enim Superos, & colit alter agros.

De Angelo arante.

III.

Qui modò præpetibus sulcauerat aëra pennis,
Frugiferos sumpto vomere sulcat agros.

D. ISIDORVS *Pastoritiâ virgâ morbos & mortem fugat.*

IV.

Ante lupos baculus, furésque arcebat abactor,
Nunc alias partes officiosus agit.
Nam Pastoritiæ inflictu vel simplice virgæ,
Mors fugit, & mortis febris anhela comes.
Phœbe, tuos remoue, lenimen inutile, succos,
En medicâ modicum plus valet arte pedum.

D. ISIDORI *pedum sceptro regali potentius.*

V.

Nobilium quanquàm sint sceptra potentia Regum,
Sceptrigerâ poterit plùs tua dextra manu:
Nam quæ Regum apices, & inania culmina ridet,
More canis, baculo Mors fugit icta tuo.

Ad D. ISIDORVM.

VI.

Vnde tuæ tanta eſt, Iſidore, potentia Virgæ,
Huius vt attactu cedat abacta lues?
Scilicet expertus totius quo vulneret ictu,
Hoc baculo Morbus, ne feriatur, abit.

D. ISIDORI *Virga, Moſaica diſpar.*

VII.

Quam geris, Hebrææ Virga eſt contraria Virgæ:
Attulit hæc vitam pluribus, illa necem.

XIII. MARTII.

S. EVPHRASIA *V. iam Chriſto in Parthenone deſponſata, à Theodoſio Imperatore per litteras ſollicitata, vt Senatorij ordinis viro nuberet, recuſat.*

I.

EVPHRASIS antiqui generis non degener hæres,
Reſpuit humanos ambitioſa toros.
Nec niſi, Chriſte, tuis ardere caloribus optat,
Nec niſi, Chriſte, tuo nubere pacta toro.
At nè fortè nouæ deſint ſua flammea nuptæ,
Virginibus ſacris additur eſſe comes.
Has inter, procul à ſtrepitu velata decenter,
Cœlitibus vitam tranſigit illa parem.
Miſſa quidem minitans à Cæſare littera venit,
Patricio iunctam quæ iubet eſſe viro.
Virgo tenax animi, Noſtros, reſcripſit, amores
Alterius thalamo quos petis, alter habet.
Ille meo ſolus flores decerpet in horto,
Ille meas ſolo deliget vngue roſas.

Huius ego thalamos, & prosequor huius amores,
Qui sponsæ sponsus virginis esse solet.
Obsignat commissa suis hæc verba tabellis,
Et dat ad Augustas ritè ferenda manûs.
Perge, puella, sacro sacra per connubia nexu,
Casta verecundus pectora iungat Hymen.
Nec sterilem fore crede torum, nam filia virtus,
Virginitas mater pignoris huius erit.

XIV. MARTII.

S. PETRVS ABBAS, *cum adhuc Tyro in religiosâ Clara-vallis disciplinâ, inter nocturnas preces obdormiret, ab Angelo excitatur.*

I.

LEnta coronati recitas dum carmina Vatis,
Nocturnâque trahis Cantica longa morâ,
Et sacræ excubiæ tibi Militis instar aguntur,
(Nam pia Bernardo sub Duce bella geris:)
Vt pugnæ rudis huius eras, tibi nescia furtim
Presserat insidians lumina, Petre, sopor.
At pius auriculam carptim tibi vellicat Ales,
Et vigilis partes admonitoris agit.
Se tibi dat famulum, tibi dat se, Petre sodalem,
Et socias tecum jungit vbique moras.
Iure tui lateris fidus petit ire satelles
Te sibi dùm cernit moribus esse parem.

Dùm PETRVS *in Odeo canit, concinentes secum Cœlites audit.*

II.

Petre, quid æthereos inter cecinisse Choraulas?
Quid juuat Angelicis obstrepuisse sonis?

Ergo sile, aut inter gratos ingratus Olores,
Confusis strepitans vocibus Anser eris.

Ex ægritudine luscus efficitur.

III.

Luminis alterius tibi morbus ademerat vsum,
Petre, dabas hilares hâc quoque parte sonos.
Est, ais, est oculi mihi cur optabile damnum
Gratuler, è geminis hostibus vnus abest.
Quæque mihi superat, aliâ pereunte, fenestram
Claudere erit leuior post mea fata labor.

XV. MARTII.

S. LONGINVS CENTVRIO *M. qui Christi latus lanceâ aperuit.*

I.

CEnturio intorquet validis dum viribus ictum,
Vt Christi exanimum sauciet hasta latus:
Parce, exclamat Amor, Domini penetrabile pectus
Vulneribus tantum debuit esse meis.

D. LONGINVM *cæcum fuisse perhibent.*

II.

Tàm bene qui Domini pectus collimat in imum,
Hunc ego si cæcum dixero, cæcus ero.

D. LONGINVS *inflicto vulnere luci oculos aperit.*

III.

Cur oculos, quibus orbus erat, Longinus adeptus,
Grande sui pretium criminis ipse tulit?
Nè cui non pateat Christi aspectabile funus,
Nemo oculis captus debuit esse suis.

Ad Christum solem obscurantem, & Longino oculos aperientem.

IV.

Vt solem obtenebras moriens, sic luminis vsum,
A te Centurio, dum morereris, habet.
Atque ita luce oculos illo quo tempore donas,
Lucem oculis illo tempore, Christe, rapis.

Continuò exiuit sanguis & aqua. Ioan. 19.

V.

Non tantũ est animæ qui Christi è pectore manat,
Est etiam medicus corporis ille liquor.
Longinum vt tetigit longam delapsus in hastam,
Luminibus clara est protinùs orta salus.
Christe, tuum funus cunctis spectabile terris,
Iam plures oculi, qui tueantur, erunt.

XVI. MARTII.

S. ABRAMVS *Eremita Mariam Neptem, è turpi fugâ ad reditum & ad lacrymas excitat.*

I.

DEgeret horrendæ virgo licèt hospes eremi,
Syluicolas inter dura colona feras:
Excessit tamen illa fugax, & adultera patrat
Neglectâ infandum virginitate scelus.
Quoslibèt in Veneris sine lege ruebat amores,
Et timor, & recti cesserat omnis amor.
Resciuit Senior criménque fugámque Puellæ,
Et citò stramineæ deserit antra casæ:
Rimatúsque vagæ Patruus vestigia Neptis,
Repperit, & primam suadet inire viam.

Vnguibus Accipitris quæ penè rapacibus hæsit,
Hanc solerte sagax liberat arte Senex.
Quæque latebrosam nuper fugiebat eremum,
Rursùs in antiquâ condita rupe latet.
Si cupis in primo cognôsse quid egerit antro,
Assiduos gemuit mœsta columba dies.

Maria Neptis ad ABRAMVM *Patruum redux.*

II.

Coruus adimplendæ cunctatur amore saginæ,
Dùm repetit primam missa columba ratem.
Tu quòque desertos, seducta Columba, penates,
Te Patruo multùm sollicitante subis.
Ad veterem remigrat primæua Columba Noemū,
Rursùs ad Abramum deuolat ista senem

XVII. MARTII.

S. GERTRVDIS *V. velo obiecto serpentes ignes à sacro Gynecæo auertit.*

I.

VIrgineas grassatur edax Vulcanus in ædes,
Et propè jàm cinis est, quę fuit ante domus.
Tu prohibes, sacróque fugas incendia velo,
Nam procul vt vidit flammea, flamma fugit.
Nescio, an aufugeret Mars hoc vmbone repulsus,
Qui clypeos inter sæuus, & arma furit. (que,
At clypeorū opifex, quanquam pede claudus vtró-
Territus hoc clypeo Mulciber ipse fugit.

Ad D. GERTRVDEM *sacrum capitis velum flammis opponentem.*

II.

Obiectas instar clypei velamen honestum,
Quod tibi virgineum texerat ante caput.

Ecce tibi! opposito velut aggere flamma resedit,
    Languet ad injectas vt vagus ignis aquas.
Virgo, tibi fuerat conjux superandus vterque;
    Et dea cum claudo juncta marita deo.
At tibi, quæ Veneris domuisti conjugis ignes,
    Vulcanum leuis est edomuisse labor.

XVIII. MARTII.

S. EDVARDVS *Angliæ Regis filius, M. ab Elfridâ Nouerca per insidias occiditur.*

I.

ARmillati aderant luctantia colla molossi,
    Venandíque foret quæ tibi turba comes;
His canibus comitúmq; illo circum agmine fusus,
    Tendebas placitis lina dolosa feris.
Nec procul inde aberant sceleratæ infida Nouercæ
    Limina, quò nimiùm credulus hospes abis.
Fide feris, Eduarde, tuæ ne fide Nouercæ,
    Nam superat rabidas illa furore feras.
Altera Phædra suos iterùm rediuiua furores
    Exeret, Hippolytus, nî fugis, alter eris.
Tu tamen admonitus pergis, vix prima subibas
    Tecta, nouercali proditus arte cadis.
Dúmque dolos pauidis tendis sine crimine prædis,
    Incidis in tacitos altera præda dolos.

D. EDVARDI *corpus exanimum prodidit noctu lux insolita.*

II.

Regis in interitu, & Christi nascentis in ortu,
    Stella micat medio conspicienda polo.
Nam malè sub tenebris cædémq; Deúmq; latentē,
    Debuit indicio prodere flamma suo.

Stella suas implet feliciter vtraque partes,
Criminis hæc index extitit, illa Dei.

XIX. MARTII.

S. IOSEPHVS C. MARIAE *Virginis Sponsus mirè eligitur.*

I.

VIxerat interior taciti sub fornice Templi,
Iámque pari fuerat Virgo juganda viro:
Dum sponsus par omnis abest, polus indice virgâ,
His thalamis Fabrum sanciit esse parem.
Arida virga fuit, tenerísque orbata medullis,
Nullaque decussis frondibus vmbra viret.
At simul hanc Senior, dextrâ tangente, capessit,
Pullulat, & natis vernat amicta comis.
Inque repentinum læto se germine florem
Induit; & vernas frondea monstrat opes.
Quanta pudicitiæ vis est, & viuere virgam,
Et virgam iussit virgo virere manus.

S. IOSEPHVS *Sponsus* MARIAE, *& Parens* IESV.

III.

O Pueri, Iosephe, Parens, ô Sponse Parentis,
Sponse minor Sponsâ, Progenieque Parens:
Te Patre Progenies maior, te Coniuge Coniux:
His minor, at reliquis maior, honore præis.
Tu maris & terræ Dominum, Dominique Parentem,
Sub lare degentes paupere pauper alis.
O quem te memorem! tantæ cui cura Parentis,
Et Pueri tanti credita cura fuit!
Cui toties Puerum, totiésque videre Parentem,
Cum Pueróque loqui, cúmque Parente datur.
Magnus eras, te quando Puer nec dicere Patrem,
Nec poterat Sponsum dicere Virgo suum.

At postquàm socialis amor te junxit vtrique,
Et socialis amor junxit vtrumque tibi,
Maior es, & longè linguis mortalibus impar,
Vt decet, humano non potes ore cani.
Te quantò Natus, quantò plùs Mater amauit,
Nos Pater, & tantò plùs quoque Sponsus ames.
Te per ego hunc Nati, Sponsæque Parẽtis amorem,
Te per ego si quid charius esse potest:
Oro, faue, Natumque mihi, Sponsámque Parentem
Concilia, vt votis adsit vterque meis.
Tu mihi sis, mihi sit Soboles, mihi commoda Mater,
Et mihi tres vnam ferte salutis opem.
Astra cadãt, Phlegetónq; suas vomat igneus vndas,
Terraque conuulso funditùs orbe ruat:
Impauidum ferient, inconcussúmque ruinæ
Dummodò me clypeus protegat iste triplex.

Ad D. IOSEPHVM.

III.

Te voluit, Iosephe, sibi Deus esse Parentem,
Esse Virum voluit te sibi Virgo Parens.
Quis queat hoc Spõso, Patre hoc quis surgere maior,
Quo Virgo voluit, quo Deus esse minor?

S. IOSEPHVS *in tabellâ depictus, Lilia manu præfert.*

IV.

Majestate vides, & cano crine verendum,
Candida præ manibus Lilia ferre Senem.
Non similes generat pulcherrima Gallia flores,
Non similes flores fundit Iberus ager:
Nec Corcyræi tales pomaria Regis,
Nec Pæstana pari messe superbit humus.
Cùm nusquàm exierint natalibus edita terris,
Suspicor è castâ Lilia nata manu.

D. IOSEPHI *beatum funus.*

V.

Angustum quo, Diue, iaces, cinxêre grabatum,
Hinc Pueri Mater, Virginis inde Puer.
Fortunate Parens, fortunatissime Conjux,
Te puto lætitiâ, si moriare, mori.

D. IOSEPHVS IESV & MARIA *adstantibus moritur.*

VI.

Inter & amplexûs Pueri, amplexúsque Parentis,
Extremum claudis Sponse, Paterque diem.
Deserere hos mœres moriens, gaudésque vicissim,
Et Matre, & Puero te prope stante, mori.
Ergo tuâ, moribunde Senex, nec amarior esse,
Nec mors esse tuâ dulcior vlla potest.

Ad D. IOSEPHVM *morientem.*

VII.

Vltima decursæ traheres dùm tempora vitæ,
Præcinxêre tuum Virgo, Puérque torum.
Vita aderat, vitæque Parens, vtriusque beato
Miror in amplexu te potuisse mori.

XIX. MARTII.

S. ADRIANVS *seruus à sicariis occiditur, auro quod putabatur deferre, inhiantibus.*

I.

Non te nobilitat nascentem sanguis Auorum,
Nobilior tamen, dùm morerere, rubes,
Nam tibi lethifero jugulum mucrone resoluit,
Perfidus immensas qui Latro sperat opes.

Pondus

Pondus & argenti ſcrutatur auarus & auri,
Sed nihil elusâ repperit ille manu.
Aſtra tibi tutantur opes, quas neſcia falli
Condidit in tuto dextera cauta loco.
Verna fores tacitâ quamuis ignotus in vmbrâ,
Ipſis liberior Regibus aſtra petis.
Sæpè fit vt meritum famulus pedes intret olympũ,
Dùm dominus rapidis ad ſtyga fertur equis.

XX. MARTII.

S. IOACHIMVS *C. Chriſti Auus, Virginis Parens.*

I.

ECquid inutilibus Ioachimum laudibus ornem,
Vt toto æternum nomen in orbe ſonet?
Quidquid erit laudum, Verſu cumulatur in vno,
Ille Auus eſt Chriſti, Virginis ille Parens.

Ad Lectorem de D. IOACHIMO.

II.

O quicunque legis Ioachimi nobile nomen,
Quantus hic eſt, hæc te carmina pauca docent.
Virginis ille Parens, Chriſti eſt Auus ille Nepotis,
O quantum in titulo duplice laudis ineſt!
Hoc nec Auo, nec Patre poteſt exiſtere maior,
Filia nec maior eſſe, nec eſſe Nepos.

XX. MARTII.

S. CVTHBERTVS *Epiſc. Lindisfarnenſis, cuius corpus poſt quadringentos & amplius annos integrum perſtitit.*

I.

Iam longos tumulo, Cuthberte, quieuerat annos,
Nec tamen in corpus ſerpſerat vlla lues.

Integritatem animi, quæ te celante latebat,
Corporis integritas indicat illa tui.
Myrrhæ odor imbutis vermes procùl arcet ab vrnis,
A te virtutis mirus abegit odor.

XXI. MARTII.

S. BENEDICTVS ABBAS *in spineto volutatus, impurum amorem suffocat.*

I.

INcolit hirsutæ rupes Benedictus eremi,
Quæ tamen insidians gliscit in antra Venus.
Titillátque jecur tenerum, furtímque per artûs
Insinuat tacito blanda venena dolo.
At juuenis se vepre rotat, se sente cruentat,
His procùl effugiat Cypris vt icta rubis.
Hâc arte Idalias damnosa incendia, flammas,
Hâc fugat Idaliam saucius arte Deam.
O cuicúnque pari molles Venus igne medullas
Palpat, inassuetis illecebrosa dolis,
Flos tibi si casti placet illibatus honoris,
Sepibus his hortum prætege, tutus eris.

Flores è D. BENEDICTI *sanguine exorti.*

II.

Fixus inexperto, Benedicte, Cupidinis arcu,
Vulnera vulneribus perniciosa leuas:
Nam positâ, quæ circum ambit tibi corpus abollâ,
Membra rotas pressis sanguinolenta rubis.
Fama rosas retulit Veneris de sanguine natas;
Lilia crediderim sanguine nata tuo.

Venus naufraga.

III.

Vepribus injectum corpus, Benedicte, cruentas,
Et laceras hirtis saucia membra rubis.
Elicitur roseus venis ab hiantibus imber,
Naufragium, vt pereat, flebile passa Venus:
Solus Erythræis Pharao non mergitur vndis,
Ecce rubro periit Cypria mersa mari.

D. BENEDICTVS *suo sanguine irriguus.*

IV.

Dum pia vulnificis fodicares membra rosetis,
Purpura te proprio tincta cruore tegit.
Hæc rosa, quâ totus rutilas, tua lilia signat,
Candorémque rubor nos docet ille tuum.

XXII. MARTII.

S. CATHARINA SVECA *V. adhuc infans respuit impurarum nutricum vbera.*

I.

DVM jacet in cunis Catharis puerilibus infans,
Et vitam succo lactis alumna trahit;
Obtulit altricem turpis meretricula mammam,
Pupa huius renuit munere lactis ali:
Nutriit Iliaden Martis lupa Romula prolem,
Nutriri à Paphiâ noluit Agna lupâ.

S. CATHARINA *iàm inde ab incunabulis Veneri infensa.*

II.

Matris ab vberibus tenuis Virguncula pendet,
Et petit irriguam lactis alentis opem.

Fortè aderat quæ pupam audit, meretricia pellex,
Sugendósque offert officiosa sinûs.
At Catharis vultu auerso indignata refugit,
Vberaque exiguâ reppulit illa manu.
Virgo, odiis Venerem quibus insectaberis olim,
Hanc procùl à tenero si modo lacte fugis?

In D. CATHARINAE *funere noua stella affulget.*

III.

Diua, decus radians multùm radiantis olympi,
Quæ mole exutâ corporis, astra subis:
Illustrent vt plura tuum funalia funus,
Ecce nouum rutilo fulget in axe jubar.

D. CATHARINAE *funus Ericus Rex suis humeris extulit.*

IV.

Sacram humeris effers, Erice, gerentibus vrnam,
Regiaque imposito funere colla premis.
Quamuis sustineat fulgentibus æthera flammis,
Se minùs ipse suo pondere jactet Atlas.

XXIII. MARTII.

S. OTHO C. *ab hostibus captus, & à D. Bernardo vinculis exemptus, vni Christo militat.*

I.

ARmatos bellator Otho delapsus in hostes,
Subdiderat domino colla premenda iugo.
Tranquillum captiua dabat per membra soporem,
Cùm, Bernarde, tuâ liber abiuit ope.
At jam Martis opus fugiens, Martísque furores,
Altera belligeras vertit ad arma manus.

Tela preces; arx cella fuit; ſibi ſufficit hoſtis,
Nullus enim, quem jam vinceret, alter erat.
Hoſtibus antè ſuis plagas inflixit, & vnus
Vulnera quæ poſt hæc intulit, ipſe tulit.

XXIV. MARTII.

S. SIMON Tridentinus Puer M. quem Iudæi variis cruciatibus tortum morte affecerunt.

I.

Dicite ſacrilegi, quis vos furor vrget, Apellæ,
Vertere in innocuum tela cruenta caput?
Quinque puer geminis menſes vix addidit annis,
Et tamen in pœnas poſcitur ille puer.
Pro foribus patriis ludebat amabilis infans,
Hunc ſibi ſupremum neſcius eſſe diem.
Verporum venêre cohors, puerúmque biennem
Pelliciunt blandis in ſua tecta dolis.
Egreditur, nucibúſque Simon, taliſque relictis,
Inſequitur rabidos, vt ſolet agna, lupos.
Poſtquàm imam ſubiêre domum, (ſi luſtra ferarum
Sint tamen appoſitâ voce vocanda domus:)
Hîc ſtrophium collo inijciunt, nè vagiat infans,
Et laceram membris diripuêre togam.
Ille quidem & lacrymis,& motu & calce repugnat,
Nomen & abſentis matris inane vocat.
Aut vocat, aut preſſo miſer ore vocare laborat,
Imbelles aliud nîl potuêre manus.
Conſtitit exuto corpus nudatus amictu,
Vt ſolet, innubi dùm nitet ore dies.
Mox crucis è trunco miſerabilis hoſtia pendens,
Mille tulit cultris vulnera, mille ſtylis.
Nec priùs eſt extincta ſitis furioſa cruoris,
Quàm lacer è terris iret in aſtra puer.

Felix ille quidem, quòd paruo in corpore, magni
Personam potuit sustinuisse Dei.
Pupe, tibi dedit astra cruor, si fortè pusillis
E venis potuit defluus ire cruor.
Durius est, quo pergis iter, tibi debuit vltrò
Pandere lacteolam Lactea zona viam.

XXV. MARTII.

ANNVNTIATIO BEATAE MARIAE VIRGINIS,
Siue
CHRISTVS *in vtero* MATRIS VIRGINIS *conceptus.*

I.

SVnt gemini Soles, Sol alter in æthere labens
Fulget, in afflictam labitur alter humum.
Virgineis oculis, & amoribus ardet vterque,
Et facit iste solo, quod facit ille polo.
Erigonen Phœbus, Mariam sol Christus amauit,
Illa vetus sydus, sydus at ista recens.
Sedibus optatis vt Sol potiatur vterque,
Ille subit signum Virginis, iste sinum.
Non æquale tamen sistunt in Virgine tempus:
Ille vno remanet, mensibus iste nouem.

Turbata est in sermone, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Luc. 1.

II.

Vidit vbi æthereum turbata Puella Ministrum,
Erubuêre duæ casta per ora rosæ.
Candentésque genas pulchro suffusa rubore,
Lilia purpureis miscuit alba rosis.
Desine Virgo rosas & lilia quærere, nam flos
Pulchrius in vultu viuit vterque tuo.
At tu alium Paradisum, Ales, modò quærere noli,
En Paradisum almæ Virginis ora gerunt.

Fiat mihi secundùm verbum tuum. Luc. 1.

III.

Et visa est parere, & parere Puerpera Mater,
Nam quia Legato paruit, illa parit.

Cælum terris per Virginem salutatam conciliatur.

IV.

Et terram, & Superos placidè qui Mensis amicat,
Martis ab antiquis nomen habebat Auis.
Hunc reliqui quocúnq; velint de nomine signent,
Ille mihi Augustus postmodò mensis erit.

XXV. MARTII.

Commemoratio S. LATRONIS, *qui in cruce Christum professus est.*

Ad S. LATRONEM.

I.

Occlusas solitus penetrare labenter in ædes,
Aut fracto auulsas pandere poste feras:
Ipsi etiam fueras, puto, vim facturus olympo,
Nî tibi sponte suas panderet æthra fores.

S. LATRO *vel in cruce furax.*

II.

Materiem mutat, non mutat callidus artem,
Propositi in medio funere Latro tenax:
Nam dùm fraude piâ cælorum irreperet arces,
Et raperet vinctâ subdolus astra manu,
Antiquæ fuit ille memor, quam calluit, artis,
Sed noua materies, quæ raperetur, erat.

XXVI. MARTII.

S. LVDGERVS *Episc. Monasteriensis, quem mater latus palo transfixa peperit.*

I.

FOetus adhuc tumidâ matris crescebat in aluo,
Nec sua complerat tempora ventris onus.
Stipitis incursu cecidit pede lubrica mater,
Transegítque sudes obuia molle latus.
Editus est infans læsæ per vulnera matris:
Et puer, & salua est hâc quoque parte parens.
Quàm pia cura poli! sunt ipsa pericula lucro,
Vulneraque, id voluit cùm Deus, ipsa juuant.

S. LVDGERVS *à teneris annis magnæ indolis dat argumenta.*

II.

Vix matri lallare puer, vix figere gressus
Cœperat, & blæso frangere verba sono.
Iàm tunc posthabito meditatur seria ludo,
Maturúsque sapit nîl puerile puer.
Nam modò scribentem videas, videásque legentẽ
Exiguos nutrix quos dedit alma libros.
Annos si numeres, rudis esse videbitur infans,
Illum si propiùs videris, esse senex.

D. LVDGERI *animus instar sideris in cælum visus est ferri.*

III.

Ludgerus antiquis noua fax adscribitur astris,
Indiguit cælum sydere, terra dedit.

XXVII. MARTII.

S. RVPERTVS *Vangionum Episc. cuius funus festiuo cantu Angeli prosecuti sunt.*

I.

CVr festum ætherei, canitis Pæana, Choraulæ?
Non bene funeribus conuenit ille canor.
Occidit orbato raptus Rupertus ouili,
Deseruítque suas Pastor ademptus oues.
Vos tamen in nostro modulati cantica luctu,
Fila importunæ plectitis icta lyræ.
Ah! video, cur astra nouos egêre triumphos,
Dùm lacrymis plangit terra, madétque suis.
Sydera ditantur nostris crescentia damnis,
Quódque perit nobis, his datur esse lucro.
Subtrahitur terris decus ingens; additur astris,
Iure igitur plaudunt sydera, terra dolet.

Ad D. RVPERTVM, *de Angelorum cantu in ipsius funere audito.*

II.

Diue, tuo interitu, Christi canit Ales in ortu,
Tu siquidem cælo nasceris, ille solo.

XXVIII. MARTII.

S. GVNTRAMVS C. *Francorum Rex eò plura in Egenos diuidit, quò plura à Deo accipit.*

I.

PAnnosis, Guntrame, licèt largitus egenis
Plurima des, multò dat tibi plura Deus.
Nam tibi, quam gremio tellus locuplete fouebat,
Venit in ignaras gaza reperta manus.

F v

Nè posthàc certare Deo cum compare pergas,
Nec vinci à magno Numine turpe putes;
Quidquid agas, quæcúnque inopi donaria dones,
Hac Deus in pugnâ diuite victor erit.

S. GVNTRAMVS *Egenis tanquàm militibus Præsidiariis cingitur.*

II.

Quò tecúmque feras, Inopum te plurimus vmbo
Stipat, in auxilium turba parata tuum.
Dulce satellitium! dulcis comitatus euntis!
Non ita præsidio Regia castra forent.
Illis excubiis, quò te rerum euocat vsus,
Illo vallatus Milite tutus eas.
Nullus ab insidiis timor est, tibi nullus ab hoste,
Ista tuum cingat dummodò turba latus.

Ad D. GVNTRAMVM *Inopum turbâ circumseptum.*

III.

Circumfusa Inopum quæ te, Guntrame, coronat,
Plùs tibi Regali, credo, corona placet.

XXIX. MARTII.

S. MARCVS *Arethusiorum Episc. & M. melle delibutus, vesparum aculeis ad solem exponitur.*

I.

Diue senex, quem mille rotæ, quē mille catastæ,
Attritum variis comminuêre modis:
Non satis exhaustū pœnæ est, tibi cruda Tyrannis,
Immanem accelerat per noua monstra necem.
Sole sub ardenti tortorum industria solers
Nuda liquescenti corpora melle linit.

Hoc celer illicio veſparum exercitus vltrò
Aduólat, & bibulâ cuſpide membra ferit.
Exugit roſeum, roſtro ſitiente, cruorem,
Exugit laceram turba ſonora cutem;
Melle licèt multo plagas patiaris inunctus,
Plùs tua quàm mellis funera fellis habent.

Ad D. MARCVM *melle perunctum.*

II.

Mors tua, Marce, licèt dulcedine mellis abundet,
Non fuit illa tamen dulcis, amara fuit.

XXIX. MARTII.

S. ARMOGASTVS *M. pro Chriſti Fide variè tortus, demùm in marmoreo tumulo diuinitùs conſtructo ſepelitur.*

I.

Turbine jactatus vario, tamen altior Heros
Longè ſuppliciis omnibus vnus erat.
Egerit effoſſam ſabuleto addictus arenam,
Hunc putat inuictum teſtis arena virum:
Suſpenſum pedibus placidè dormire putares,
Vſque adeò nullus prodiit ore dolor.
Præfectus pecori, bobus præfectus alendis,
Poſthabuit ſumpto regia ſceptra pedo.
Mens poſtquàm exceſſit peregrinis aduena terris,
Inque altum rediit, patria regna, Polum.
Dúmque ſub arboribus corpus tumulatur inane,
Marmoreum pandit concaua terra ſinum.
Protinùs hoc tegitur funus ſepelibile cippo,
Quem nullâ inſtructum condidit arte ſolum.
Nè tibi magnifico placeas, Mauſole, ſepulchro,
Si tumulo Paſtor nobiliore jacet.

XXIX. MARTII.

S. SATYRVS *M. in exilium pro Fide iturus, nullis suorum vel precibus, vel blanditiis retinetur.*

I.

Iam Satyro exilij tempus lacrymabilis instat,
  Nî sanctam ejuret proditione Fidem.
Circumstant famuli, circùm, pia turba, Sodales,
  Pignoraque afflictæ dulcia membra domûs.
Vxor amans complexa pedes abeuntis inhæret,
  Sarcina propositæ non onerosa viæ.
Non potes auelli, clamat simul ibimus ambo,
  Ibimus, & conjux exulis exul ero.
Te jubet à patriâ longè discedere Cæsar,
  Me pietas, pietas Cæsaris instar erit.
Hic quoque te moueat, (tendebat brachia Natus)
  Qui nostro tendit brachia parua sinu.
Talia jactabat, vacuas sed jactat in auras,
  Nîl gemitûs, cassæ nîl potuêre preces.
Quem charo premit illa sinu, sine vocibus infans,
  Orator minimus, maximus ille fuit.
Nîl tamen effectum est, nam quò jubet ira Tyranni,
  Egregius nihilo tardiùs exul abit.
Scilicèt immensus, quàm latè extenditur, orbis,
  Patria Christiadis fortibus esse solet.

XXIX. MARTII.

S. MECHTILDIS *V. cuius demortuæ capilli fulmen auerterunt.*

I.

Mens tua despectis penetrarat in æthera terris,
  Virgo, verecundi gemma corusca chori.

Vertice detonsi, dictu mirabile! crines,
Exarmant bifido fulmina missa polo.
Nil opus vt referant nostræ tua facta Camœnæ,
Noscitur vngue leo, nosceris ipsa pilo.

XXX. MARTII.

S. REGVLVS *Arelatensis Episc.* S. DIONISII *& aliorum duorum sociorum Martyrium Columbâ nuntiâ inter sacrificandum accepit.*

I.

IAm sociis quibus antè comes comitantibus ibas,
Crudelem intulerat carnificina necem :
Hanc cædem, dum ritè litas, tibi Chaonis ales
Nuntiat è summo visa volare tholo.
Ne-ve tibi illudi falsâ sub imagine credas,
Gestat oliuifero nomen in ore triplex.
Regule, siue tibi, longæuo siue Noëmo,
Nuntia sic semper fida Columba fuit.

Ad socios D. REGVLI *pro Fide occisos.*

II.

Magnanimi Heroes, Gallis memorabile nomen,
Immeritam passi pro pietate necem :
Non, vt amat fieri, Vultur, Coruique voraces,
Funeris at vestri est visa Columba comes.
Cùm vestrum comitetur auis Dodonea funus,
Vos auibus cæsos quis neget esse bonis ?

Dùm REGVLVS *concionatur ad populum, importunis ranis silentium imperat, impetratque.*

III.

Virtutis dùm pandit iter, plebémque disertus
Erudit, & sacro Regulus ore tonat,

Perstrepit, & doctæ miscens sua jurgia voci,
Hospita vicinæ rana coaxat aquæ.
Regulus ingratæ taciturna silentia turbæ
Imperat, hæc presso protinùs ore silet.
At modò cùm ranæ sileant, lingua impia templis
Obstrepit, & multâ garrulitate crepat.
Vtque olim in ranas pubes mutatur agrestis,
In ranas homines nunc abiisse putes.

XXXI. MARTII.

S. AGNES *Præmonstratensis V. candida veste sui Ordinis induitur.*

I.

VEllleris ornari pretio spectabilis Agnes,
Et poterat diues diuite veste tegi:
Noluit illa tamen, ne quis prædator Iazon,
Vellus, & auratam tollere vellet ouem.
Nil ergo his phaleris capitur, pompâue colorum,
Solaque natiuo lana decore placet.
Candidior niuibus, puráque in veste nitescit;
Nimirùm est index pectoris ille color.
Corpore in intacto niueum qui cernis amictum,
Sub niueo niueam vellere cernis ouem.





MENSIS APRILIS.

PRIMA APRILIS.

S. VALERICVS *Abbas dùm adhuc puer custos esset ouium, totum Psalterium decurrebat.*

I.

DVM sequitur Valericus oues, nunc Cãtica psal-
Solatus tetricæ tædia longa viæ : (lit,
Nunc pastoritiæ munitus verbere fundæ,
Arcet inerrantes à grege sæpe lupos.
Tàm benè cùm peragat Dauidica munia Pastor,
Isacidæ Vati quis neget esse parem ?

S. VALERICVS *hortum colit locustis & cæteris florum hostibus imperuium.*

II.

Et colit aprico flores Valericus in horto,
Et facilem rastro sarrit, & occat humum.
Non Eruca grauem serpit minitata ruinam,
Nec nocet illæsis vlla Locusta fibris.
Non aquilo, non acris hyems, non horrida grando,
Nec quicúnque satis floribus hostis obest.
Sed picto florum populus caput exerit horto,
Et domino gestit posse placere suo.
Illo, si qua fides, inarari terra colono,
Illo proscindi vomere gaudet humus.

Diue, licèt riguum coleres industrius hortum,
Cultor eras animi doctior ipse tui.

D. VALERICVS *Auiculis familiariter colludit.*

III.

It quoties notæ Valericus in abdita syluæ,
Ales ad innocuum currit alumna Senem:
Nec timet insidias, rostróque iocatur, & vngui,
Pérque vagas volitat ludicra turba comas;
Et quoties Senior ieiunia sobrius explet,
Exiguo solitus pascere labra cibo;
Hinc volucris demensa petit, carpítque legendo,
Si qua pauimentum deflua mica ferit.
Nimirùm hic melior, multóque paratior esus,
Quàm culicem totos sollicitare dies,
Aut muscas agitare leues, captare locustas,
Et quæcúnque fugax aëre præda volat.
Insinuat modò se gremio, gaudétque foueri
Ales, & iniectâ veste quieta tegi.
Nec redit ad luteos, pullorum oblita, penates,
Scilicèt est nido dulcior ille sinus.

Auicula in sinu D. VALERICI *noxa secura.*

IV.

Dùm nemorũ per opaca senex Valericus oberrat,
Solaque despecto cogitat astra solo;
Inuolitans humeris numerosa senilibus Ales,
Vellicat incanas molliter vngue comas:
Et modò promissæ latè propetasmata barbæ
Insidet, & mansum poscit ab ore cibum.
Nec secura magis, nec adest minùs illa frequenter
Quàm si inter virides exspatietur agros.
Fortè rogas, cur ora Senis per edentula ludat,
Nec reuolet trepidâ plumea turba fugâ;

Nullius est vel causa metûs, vel causa pericli,
Abstinet à vescis carnibus ora Senex.
Non ita, Lurco, tuam subeat secura culinam,
Hùc volucris tendit plurima, nulla redit.

II. APRILIS.

S. FRANCISCVS DE PAVLA *C. Ordinis PP. Minimorum Fundator.*

I.

DVm fastûs, titulósque fugit Franciscus inanes,
Et vano inflatum quidquid honore tumet:
Non voluêre piis Superi subscribere votis,
Magnus enim, Minimus dum cupit esse, fuit.

Ad D. FRANCISCVM DE PAVLA.

II.

Te Minimum licèt esse iuuet, Minimóque minorē,
Maximus in Minimo tu mihi semper eris.

De SS. FRANCISCO DE PAVLA & ASSISIATE.

III.

Tu prior ipse vocas socios, Francisce, Minores,
Franciscus, Minimos qui vocet, alter adest.
Cùm multis, Francisce Minor, præcesseris annis,
Patre Minore minor debuit esse Nepos.

S. FRANCISCVS PAVLANVS *ardentem fornacem sine noxâ subiit: mare pallio suo instratum enauigauit.*

IV.

Imperiis elementa tuis famulantia parent,
Séque tibi fractis supposuêre minis.

Vnda, tibi, tibi flamma volens, Francisce, pepercit,
Æquor enim siccum, frigida flamma fuit.
Te rerum agnoscit docilis Natura potentem,
Nec quidquam est, votis quod neget illa tuis.
Nîl tibi, nè madeas, habet arida lympha madoris,
Nîl tibi, nè caleas, flamma caloris habet.

Diuisâ duas in partes arbore, dissidentes fratres S. FRANCISCVS PAVLANVS *conciliat.*

V.

Armarat lis vna duos in prælia fratres,
Causaque quæ rixam commouet, arbor erat.
Fratrem intercessit pius inter vtrumque Sequester,
Conatus veterem conciliare fidem.
Cùm neuter vellet fratri concedere frater,
Tractaque per longas lis foret illa moras:
Fissilis in geminas æquo discrimine partes
Iussa est imperio Pomus abire tuo.
Pars fratrem sua quemq; manet, Francisce, nec vno
Pomo, inquis, posthac ditior alter erit.
Non poterat meliùs longam decidere litem,
Arbitra correpto si foret ense Themis.

II. APRILIS.

S. GENOVEFA PALENTINA *in syluis cum infante à Marito exposita.*

I.

Deplorande puer, rapidarum præda ferarum,
Et dolor, & miseræ, Pusio, matris amor!
Dùm positâ pietate parens in viscera sæuit,
Hunc monet officii Cerua magistra sui.
Nam dùm vagires nemoralibus abditus antris,
Applicuit labris vbera plena tuis.
Aruerant geminæ matris sine lacte mamillæ,
Ceruaque lactantis munia matris agit.

Muneris id fuit omne tui, dulcissima Mater,
Quæ prolem ex aluo virgine Virgo paris.
Nam nemore in medio vixit te sospite sospes,
Cum puero genitrix, cum genitrice puer.
Immemores sileant pia munera V'rginis vrbes,
Virginis hæc poterit munera sylua loqui.

II. APRILIS.

S. MVSA V. *in tenerâ ætate senilem maturitatem præfert.*

I.

Rara juuentutis teneræ miracula cernis,
Adstitit ante oculos si modò Musa tuos.
At caue ne Thyasos hilares, Citharas-ve sonantes,
Audito Musæ nomine fortè putes.
Nam longè grauium numeroso pondere morum,
Ter ternas superat, sit licèt vna, deas.

Ad VIRGINEM MATREM, *quâ visâ modestior est reddita Musa virgo.*

II.

Ex quo Musa tuæ vidit spectacula frontis,
Virginei, Virgo, gloria prima chori;
Illa suis sapuit longè maturior annis,
Et leuitas morum est visa fuisse grauis.
Virgo, verecundam reddis si visa juuentam,
Nunc oculos cernit rara juuenta tuos.

III. APRILIS.

S. IOSEPHVS *Poëta, C.*

I.

PIeridum, Ioseph, decus, quo sæpè canente,
Auditis stupuit Thessalonica modis:

Sylua tibi Parnassus erat, commercia Musæ;
 Terra torus; panis fercula; lympha scyphus.
Cur puris tamen ora rigas abstemius vndis?
 Non solet hic gratus Vatibus esse liquor.
Nempè madere sacris noras Helicona fluentis,
 Nec riguo Pindi saxa rubere mero.
Non bene Palladio Bacchus miscetur oliuo,
 Non illi sapiat, qui sapit, ille liquor.

IV. APRILIS.

S. IOSEPHVS HERMANNVS *Christo Virginique Matri, ac D. Ioanni Baptistæ septennis puer colludit.*

I.

DVm primæ arrident doctæ tibi Palladis artes,
 Dùm tibi præ doctâ Pallade Virgo pareus;
Ludentem, Iosephe, vides cum Virgine Prolem,
 His quoque collusor tertius alter erat.
Hic Baptista fuit, Christo quem iunctior ætas,
 Quem Christo affini sanguine nectit amor.
Te Diuina Parens vocat in consortia lusûs,
 Nec mora, cum Superis ludere iussus ades.
O Puer! ô quanto Superûm dignatus honore!
 O quanto Superûm dignus amore Puer!
Hæc quicúnque legis, ludi impermissa libido
 Sollicitat cupidas si tibi fortè manûs;
Lude, tibi placiti datur ampla licentia ludi,
 Si modò dat socios lusus habere pares.

V. APRILIS.

S. VINCENTIVS FERRERIVS C. *puerum à matre laniatum ad vitam reuocat.*

I.

ACta olim furiis immanibus effera mater,
Sustulerat rabidâ pignora cæsa manu.
Dic age, quis Tereus, quis te stimulabat Iason,
Grande nouercali more patrare nefas?
Facti autor nullus, sed natum in frusta minutum
Interimit solo mota furore parens:
At relegens, aptánsque locis Vincentius artûs,
Dat rursùm æthereo te, Puer, ore frui.
Illa Nouerca tibi posthàc, pater iste vocandus,
Iste tibi vitam reddidit, illa rapit.

V. APRILIS.

S. IRENE *V. & M. nullâ vi potuit suis vestibus nudari.*

I.

Dùm castam exueres, Leno lasciue, Puellam,
Hæsit ad applicitam vestis amica cutem.
Quamlibèt insistas, nullâ valet arte reuelli,
Et citiùs membris virgo sit orba suis.
Ilicèt æthereus velamine gaudet honesto,
Idalius nullo tegmine gaudet Amor.
Impollutum oculis caue libes, tortor, honorem,
Nam rutilat puro puriùs ille vitro.
Vt solo afflatu speculum, sic aura pudoris
Infuscari oculo conspiciente solet.
Viderat Actæon nudam sine veste Dianam,
Præda fuit leuium protinùs ille canum.

Sanguineũ precibúsque mouet, pretióq; Tyranni
Vt trucis inuersum det Crucis esse situm;
Et caput oppositis ad olympi sydera plantis,
Subiectam prono vertice spectet humum.
Ecquæ causa mouet cupidæ noua vota parentis?
Cur planta est illo, quo caput ante, loco?
E Cruce sublimem tendebat ad æthera Martyr,
Iure supinatos vertit ad astra pedes.

Theoclia mater in CALLIOPII *supplicio lætatur.*

II.

Vidit vt inuerso suffixam in stipite prolem,
Non tacitâ mater gaudia mente tulit:
Defluus irriguos cruor vndique manat in artûs,
Iámque lacer iuuenis nil nisi vulnus erat.
Hæc tormenta oculis lætantibus haurit Amazon,
Crux solium visa est, purpura visa cruor.
Fortunata Parens! fortunatissima proles!
Martyrio proles, Martyre prole parens!
Par vtrique decus, nec vtríque est gloria dispar;
Digna parens puero, digne parente Puer.

S. CALLIOPIVS *adstante matre in Crucem tollitur.*

III.

Tollitur in duram proles dilecta Cupressum,
Supplicio voluit fortis adesse parens.
Hoc decus est, Theoclia, tuum, quæ funere prolis,
Non minùs ac pompâ diuite prolis ouas.
Gratior illa tibi est dùm pendet ab arbore, quàm cũ
Luderet è collo pensilis antè tuo.

Theoclia cum Machabaeorum matre conferenda.

IV.

Chara fuit ſoboles vnius & vna parentis,
Quæ mactata tibi victima, Chriſte, cadit.
Plena propinaſſet ſi pluribus vbera mater,
Pluribus ad cæli gaudia monſtret iter.
Ne fore te, Machabæa Parens, ſine compare credas;
Ecce tibi hunc animum cernimus eſſe parem.

VII. APRILIS.

S. AIBERTVS *C. crebrò terram oſculatur.*

I.

Aibertus pia membra ſolo proſtratus inhæret,
Et lambit tepidam puluerulentus humum.
Oſcula ferre ſuæ, dixit, ſe crebra parenti;
Námq; humus eſt hominũ jure vocanda parens.

VIII. APRILIS.

S. VICTERPVS *Auguſtæ Epiſc. è loco Virgini Deiparæ ſacro exanimis non potuit auferri.*

I.

INtactæ ambieras tumulum tibi Matris in æde,
Victerpe, intactæ Matris amate Cliens;
Dúmque leues cineres aliò transferre laborat
Turba, humeris loculum ferre parata ſuis;
Nullo hominum niſu, nullâ ſuperabilis arte,
Vrna ſtetit primo firma, tenáxque loco.
Noluit è gremio ſoboles exire Parentis,
E gremio Sobolem noluit ire Parens.

VIII. APRI-

VIII. APRILIS,

S. ÆDESIVS *M. Tyrannum grauiter obiurgat pudori cuiusdam puellæ insidiantem: demum post exantlatos varios labores in mare demergitur.*

I.

Inclyte seruati tutor, vindéxque pudoris,
Per te virgineæ non rubuere niues.
Nam turpem incestis generosâ voce Cinædum,
Dùm spurcus castæ virginis esset amans,
Iactus in immensum tandem demergeris æquor,
Et toto in tumulum te tegit vnda mari:
Vt bellum imbelli Veneri molitus vbique,
Hanc etiam in cunis aggrederere suis.

VIII. APRILIS.

S. PERPETVVS *Turonensis Epise. DD. Cœlitibus varia templa erigit.*

I.

Qui tot Templa dicat, qui tot Cœlestibus aras,
Et sacro indigetes Præsul honore colit,
Indigetes inter meritò numerandus, hic aris
Dignus, & hic Templis qui coleretur, erat.

IX. APRILIS.

S. PETRVS LVXEMBVRGIVS CARDINALIS, *puer adhuc nouennis, dùm carnes pauperibus defert, patre occurrente, subitò in rosas vertuntur.*

I.

ORA fame, tremulóque gelu pallentia præfert,
Turbaque gratuitas poscit egena dapes.

Petre, vides, tactúſque pio pia corda dolore,
Subripis inſonti carnea fruſta manu.
Obuius eſt genitor, quid fers intérqueroganti
Reſpondes teneras te, Petre ferre roſas.
Dicentis vox vera fuit, nam concaua veſtis
Exhibuit ſubitæ florea ſerta roſæ.
Tempeſtiua tibi fructûs quos afferet æſtas,
Bruma repentinas ſi parit ipſa roſas?

Ad D. PETRVM LVXEMBVRGIVM *carnem pro ſtipe egenis deferentem.*

II.

Vix tibi tranſierat ternæ trieteridos ætas,
Tu tamen ingenii ſenſa virilis habes,
Inque inopes pietas longè eſt pro tempore maior,
Quam tamen innocuâ calliditate premis.
Fortè aderat genitor, dùm condis amabile furtum,
Quod tu pauperibus, munus edule, paras.
Ferre roſas, deprênſus ais; Petre, vera fateris,
Námque geris geminas pulcher in ore roſas.

D. PETRVS LVXEMBVRGIVS *ſine funebri pompâ voluit ſepeliri, tribus tantùm accenſis facibus.*

III.

Petre, ſuperuacuos tumuli pertæſus honores,
Non niſi vis ternas funeris eſſe faces.
Nil opus eſt clarare tuam funalibus vrnam,
Clarius à nullâ lampade funus erit.

Ad D. PETRI LVXEMBVRGII *tumulum mortuis & cæcis plurimis lux reddita.*

IV.

Sàt claram affundunt tumulo miracula lucem,
Tollite funereas, lumen inane, faces.

Quam caſſis oculorum vſu, vitæque dediſti,
Diue, tuum illuſtrat lux ſatis illa rogum.

De mortuis à D. PETRO LVXEMBVRGIO *excitatis.*

V.

Qui poterit primam defunctis reddere vitam,
Defunctos vitæ reddere, Numen erit:
Tu tamen id pręſtas, ſed cùm duo Numina pugnent,
Petre, mihi poſthàc Numinis inſtar eris.

IX. APRILIS.

S. MARIA ÆGYPTIACA, *Virginis ope è ſcelerum cæno emergit.*

I.

Niliacis quondàm famoſa puella Theatris,
Facta pudicitiæ lena, luéſque ſuæ:
Oppreſſa ingenti ſcelerum ſub mole labaſcit,
Nî promptam acceleret ferre Patronus opem.
At Superûm Regina fauet Patrona vocanti,
Ne malè defensâ lite Clienta cadat.
Tu quoque qui ſcelerũ non impare mole grauaris,
Patronæ pariter Virginis eſto Cliens;
Nemo Reus timeat tantæ diſpendia litis,
Si cauſam orarit Iudicis ipſa Parens.

Ad D. MARIAM ÆGYPTIACAM *ſicco veſtigio per Iordanem tranſmeantem.*

II.

Cùm per aquas ſiccis gradiare leuiſſima plantis,
Te ſcelerum molem depoſuiſſe probas.

D. MARIA ÆGYPTIACA, *effoſſo à leonibus tumulo ſepelitur.*

III.

Illa Paratoniæ probroſa infamia terræ,
Illa Dionæi dux inhonora chori:
Facta diu nemorum cultrix & alumna ferarum,
Tempora jam vitæ clauſerat acta ſuæ.
Accurrêre pij, turba officioſa, leones,
Triſtéque ſuffodiunt vngue iuuante ſolum.
Támque diu inſiſtunt operi, dùm concaua tellus
Æqualem tumulo ceſſerit hauſta locum.
Cur poſitâ feritate leo manſueſcit, & vltrò
Exhibet obſequij nuntia ſigna ſui?
Si Superis, Superûmque Deo famulere potenti,
Tu pariter famulas experiêre feras.

X. APRILIS.

S. MACHARIVS *Patriarcha Antiochenus, Cruce, quâ vice baculi vtitur, morbos fugat.*

I.

DAS, Machari, cæcóq; oculos, mancóq; lacertos,
Illo, quo fulcis languida membra, pedo.
Poſtmodò Moſaici ſileant miracula ſceptri,
Ecce tuam clarat par quoque Virga manum.

D. MACHARIVS *in cryptâ Virgini dicatâ voluit ſepeliri.*

II.

Mors animo jàm, Diue, tuos ſecreuerat artûs,
Vtraque pars aptum ceſſit adepta locum.
Virginis excipitur Templo ſepelibile corpus,
Spiritus in gremium Virginis hoſpes abit.

Non poterant meliore loco Senis ossa reponi,
Mens quoque non poterat nobiliore sinu.

XI. APRILIS.

S. Leo I. *Summus Pontifex publicè crimina sua aperit, vt supremam dignitatem à se amoliatur.*

I.

Plebe palàm, Procerúmq; globo delicta fateris,
Téque reum noxæ non leuis esse refers.
Id peragis, summi ascendas ne culmen honoris,
Quò te terrarum publica vota vocant.
Cur verbis majora refers quàm crimina factis?
Te probat innocuum dextera, lingua reum.
At dextræ, mihi crede, tuæ, quæ nesciit vnquam
Fallere, quàm linguæ maior habenda fides.
Scande igitur, rerúmq; sacras cape Rector habenas,
Aut alios, si vis vincere, quære dolos.

S. Leo *Attilam Hunnorum Regem in Italiam irrumpentem aspectu suo reprimit.*

II.

Dùm flammis, ferróque furit, prædásque superbus
Attila, torrentis more ruentis, agit.
Territus aspectu supremi Antistitis hæsit,
Et cecidit fractis ira retusa minis.
Mos est ille lupis, Pastore recedere viso,
Attila, tu lupus es, tù, Leo, Pastor eras.

S. Leo *dulci eloquentiâ præditus.*

III.

Mortuus exanimi dederat Samsonius ore,
Iste suo viuus Mel dedit ore Leo.

XII. APRILIS.

S. Alfervs *Abbas Cluniacensis è summo montis vertice sine noxâ praeceps à Cacodæmone agitur.*

I.

TRuditur in præceps alto de vertice montis
 Alferus, insidiis, Pluto scelešte, tuis.
Sed tamen innocuo campi ferit æquora lapsu,
 Et placidam nullo vulnere tangit humum.
Ille vbi se saluum sensit, Plutona jocosis
 Dicitur obiurgans increpuisse sonis:
Orce, (fatebor enim) me culmine deijcis alto,
 Tu tamen exitio deteriore ruis.
Metiris spatium Chaos inter, & inter Olympum,
 Tartara de summo lapsus in ima polo.
Sis aliis Proteus, & nomina mille voceris,
 Tu mihi tu posthàc, perfide, Mensor eris.

XIII. APRILIS.

S. Ivstinvs *M. Christianis Romæ patrocinatur.*

I.

SÆuit inexpletùm Cæsar, Christíque sequaces
 Funditus & ferro cædit, & igne necat.
Tu Latio, Iustine, foro tutaris inermes,
 Génsque patrocinio salua fit illa tuo.
Nobiliore loco, vel nobiliore Patrono,
 Nunquam nobilior causa peracta fuit.

XIII. APRILIS.

S. HERMENIGILDVS *M. à patre Leouigildo Visigothorum Rege in carcerem compingitur.*

I.

Hermenigilde, decus Iuuenum, qui raptus ab aulæ
Luce, tenebrosi carceris antra subis:
Sceptra tibi manicæ, tibi ferrea vincula torques,
Hi neque te torques, hæc neque sceptra decent.

S. HERMENIGILDVS *patre imperante noctu in carcere interficitur.*

II.

Obscurâ patrius perimit te nocte satelles,
Non tamen obscurâ morte peremptus obis.
Quidquid agat genitor, quamuis tua funera celet,
Clarior in mediâ mors tua nocte fuit.

S. HERMENIGILDVS *moriens Christo nascenti similis.*

III.

Nascenti in terris Christo, te nocte trucidans,
Disparilem-ne Parens fecit, an esse parem?
Vt Christum in mediâ tellus conspexit oriri,
Vidimus in mediâ te quoque nocte mori.

Interfecto S. HERMENIGILDO *ad sacrum funus concinunt Angeli.*

IV.

Vt superi, nascente Deo, cecinêre Choraulæ,
Sic repetunt hilares te moriente modos.
Attulerat terris oriens quæ gaudia Christus,
Interitus festis dat tuus illa polis.

XIV. APRILIS.

S. ARDELIO *Mimus, ex Mimo Christianus, & ex Christiano Martyr.*

I.

DVM simulat, ridétq; sacros leuis Histrio ritûs,
Festaque plaudenti voce theatra quatit;
Hunc tetigit diuina Charis, ludóque remoto,
Fit subitò Martyr, qui modò Mimus erat.
Quis pretij Numen jam dicere possit auarum?
En etiam lepido vendidit astra joco.

XIV. APRILIS.

S. FRONTO *Abbas, eiusque socij, in nemorum solitudine mirabiliter pasti.*

I.

Horrea cur condis, modicum subiture sepulchrum?
Formicæ, haud hominis, cur tibi vita placet?
Prouidus in longos victum tibi congeris annos,
Hei mihi! post paucos interiture dies.
Non ita Fronto suam sibi prouidet anxius escam,
Non ita Frontonem turba secuta comes.
His tamen in sterili syluâ nec adorea desunt,
Nec desunt reliquæ, fercula missa, dapes.
Quippe volente Deo, medio seges aëre crescet,
Crescet & in mediis Massicus humor aquis.

XIV. APRILIS.

S. LYDVVINA *formam perdit, vt pudorem seruet.*

I.

Innumeri Nymphæ thalamos petiere Mariti
Innumeri Nymphæ displicuêre Proci:

Ergo verecundâ dignum rata Virgine votum,
Orat, vt informis serpat in ora lues.
Orat & exorat, longo ruit agmine morbus,
Natiuásque oris depopulatur opes.
Dentis ebur, frontísque niues, ostrúmque genarum
Defluit, & primus, qui fuit antè, nitor.
Tùm cœpit Lyduuina magis sibi pulchra videri,
Dùm vitreo exsuccas cernit in orbe genas.
Dotis emat pretio, dixit, Virgo altera Sponsum,
Hâc volui Sponso dote placere meo.
Corporis externum non deperit ille decorem,
Tectum animi potiùs deperit ille decus.

S. LYDVVINA *tot afflictari morbis à Deo expetiit, vt nihil superesset purgandum in igne piaculari.*

II.

Vouerat his supplex Lyduuina doloribus angi;
(Vouerat, & voto compote Virgo fuit.)
Vouerat his angi morbis, vt ritè piandum
Nil sibi lustrali prorsùs in igne foret.
Excocta assiduo morborum examine, tandem
Viuere, vel potius desiit illa mori.
Desiit illa mori, purique nitore metalli
Purior, ad puros it sine labe polos.
Felix! ô nimium felix! si sydera donent
Illâ te vitâ viuere, morte mori.

XV. APRILIS.

S. EVTICHIVS *M. prope cuius tumulum Redemptus Pontifex lectulum sibi adornari curat.*

I.

IVre tibi lectum, loculum prope Martyris ornas,
Aptiùs haud aliâ sede, Redempte, cubes.

Nam thalamus, tumulúsq; breui diſcrimine diſtat,
Et mors eſt ſomni fratris amica ſoror.
Ad lectum, ad lethum curſu properamus eodem,
Eſt Tumuli Thalamus, Mortis imago Sopor.

XVI. APRILIS.

S. IOACHIMVS C. *dum ſacrificanti Sacerdoti inſeruit, Epilepſi, quam volens ex alio in ſe transtulerat, repentè correptus concidit.*

I.

DVm ſurſùm attollit Myſtes ſpectabile Numen,
Plébſque colit tunſo fercula ſacra ſinu;
Impellente cadit morbo Ioachimus, & ipſam
Deſerit oblitus, quam tulit antè, facem.
Penſilis in medio tamen aëre cereus ardet,
Cœlite feſtinam ſubijciente manum.
Vos quibus eſt ſanctas aſſiſtere munus ad aras,
Sacrificus veſcum dùm parit ore Deum;
Cernite qui tandem vobis tribuantur honores,
Ecce polus veſtras gaudet obire vices.

XVII. APRILIS.

S. ANICETVS *Pontifex Maximus vetuit nè ſacrorum Miniſtri comam mulıebriter alerent.*

I.

IVre aris prohibes Myſtas adſtare comatos,
Mollicies ſacros dedecet illa Viros.
Hæc coma neſcio quid læuum portendit, vt augur
Lugubris euentûs eſſe cometa ſolet.

XVII. APRILIS.

S. HELENVS C. *Crocodilo vectus amnem traijcit.*

I.

Ingens Niliacæ terror Crocodilus arenæ,
Per famulas Helenum transuehit amnis aquas:
Dúmque ferum, quocúnq; lubet, versátq; regítque,
Hæc ait insolito per vada vectus equo:
Typhis Iasoniam seruet sibi Nauita puppim,
Me vehat in mediis hic modò Cetus aquis.

XVIII. APRILIS.

S. VRSMARVS *Lemurum terriculis infestas ædes liberat.*

I.

PErstrepit attonitas variis terroribus ædes,
Laruarum ac Lemurum prodigiosa cohors.
Vrsmarus irriguæ lustrali aspergine lymphæ,
Conijcit in trepidam panica monstra fugam.
Currit ad infernos turba execrabilis ignes,
Et repetit stygios, lurida regna, focos.
Vndâ interdictum posthàc sibi vellet, & igni,
Passus enim flammas, nunc fugit orcus aquas.

XVIII. APRILIS.

S. REGINALDVS è D. *Dominici familiâ, ope magnæ Virginis à febri sanatur.*

I.

Reginalde, pios febris impia sæuit in artûs,
Et tuus in tanto deficit igne vigor:
Ætherææ Regina potens delabitur aulæ,
Hinc Catharis stipat, Cæcilis inde latus.

Illa falutiferi guttam ftillauit oliui,
   Tu medicam fentis æger inunctus opem.
Quæ priùs infusâ furgebat Pallade maior,
   Nunc procul infusâ Pallade flamma fugit.
At te, Diue, tuo releuatum pectora morbo,
   Prifca refert iftos fama dediffe fonos:
His ego fi Medicis, hoc fi medicamine faner,
   Penè mihi optandus poftmodò morbus erit.

XIX. APRILIS.

S. VERNHERVS *M. infixo humi fcipione fontem elicit.*

I.

IMpactotibi fluxit humus, Vernhere, bacillo,
   Et vix tacta fuas gleba profudit aquas.
Mofaïcæ miranda minùs miracula Virgæ,
   Bis filicem Mofes perculit, ifte femel.

S. VERNHERI *corpus à Iudæis laceratum & fpeluncâ abditum, face cælefti proditur.*

II.

Vernheri occulitur plagis informe cadauer;
   Non tamen impietas his latet vfa dolis:
Nam fax miffa polo, quanta eft in Martyre virtus
   Monftrat, & Hebræo quantus in hofte furor.
Cum Diuo exequias tellus injufta negaret,
   Iuffus adeft iuftus foluere Iufta polus.

XX. APRILIS.

S. AGNES POLITIANA *V. in cuius ortu noua ftella emicuit.*

I.

FVlgida bisgeminæ clarant cunabula ftellæ;
   Dùm paritur virgo, dũ quoque Virgo parit.

Non temerè illustri radiat fax vtraque cælo,
Virginis hæc ortûs nuntiat, illa Dei.
Scilicèt ex vtero dùm Virgine nascitur Agnus,
Dúmque Agnes virgo nascitur, astra micant.

S. AGNES *sæpe ab Angelo sacrâ Eucharistiâ reficitur.*

II.

Per nemorum salebras, pérque inuia tesqua ferarũ,
Thesbites tutos quæritat erro lares.
Vix demùm tacitam nactus sub rupe latebram,
Sternitur ignotâ languidus hospes humo.
Hic dapifer Coruus solitas dare sedulus escas,
Pascebat profugum, nemine teste, Senem.
At modò candidior, niuibúsque simillimus Ales,
Ambrosias Superûm fert tibi, Virgo dapes.
Et plenum latitante Deo cratera propinat,
Vt puro latices ætheris ore bibas.
Hic tantò meliora dedit tibi fercula, quantò
Vilior alato Cælite coruus erat.

XXI. APRILIS.

S. ANSELMVS *Cantuariensis Episc. captiuam auiculam libertate donat.*

I.

FOrtè puer captam stupâ retinente volucrem
Strinxerat, in vetitam ne volet acta fugam.
Alitis aspexit pedicas Anselmus, & vltrò
Indoluit vinclis, dulcis Alauda, tuis
Tùm dixit, Quid serua manes? fuge prompta volucris,
Duraque seruitii vincla resolue tui.
Dixit, & in lacrymas puer iuit, & Ales in auras,
Nexibus abreptis hæc canit, ille gemit.

Diuus ab his, Sic nos Erebi capit improbus Auceps,
Et premit indecori libera colla jugo.
Vtque suæ sortis cantum ciet immemor ales,
Ludimus in nostris sic quoque sæpè malis.
E minimis documenta dabat sic maxima rebus:
Fama Caledonij, Præsul, honósque soli.
Nè tamen incassùm sapiens præcepta Magister,
Mobilibus dederit diripienda notis; (nectunt,
Ah! fuge, quisquis is es, quem tàm mala vincula
Ah! fuge, quem dudùm sæua tyrannis habet.
Nam nisi compedibus fugias ergastula ruptis,
Alitibus maior cura salutis erit.

XXII. APRILIS.

S. Epipodivs *M. Adolescens Lugduni in Galliâ pro Fide passus.*

I.

QVà Rhodano miscetur Arar, generosa virilis
Pectoris est visus signa dedisse Puer:
Nam sua sacrilegæ jussus dare colla securi,
Fortiter intrepido strenuus ore dedit.
Quâ parte excepit ceruix resecanda machæram,
Sanguine polluitur, cæterâ lactis erant.
Candescit Puer ille, Puer simul ille rubescit,
Virgineo candet flore, cruore rubet.
Tu, Iuuenis, pulchro socialiter addere nexu
Lilia puniceis si lubet alba rosis:
Illibatum animi, moneo, sectare pudorem,
Ille ruber candet, candidus ille rubet.

XXII. APRILIS.

S. SOTER *M. Pontifex Maximus toti orbi proficuus.*

I.

Ferre tibi, Soter, ſoteria debuit orbis,
Tu ſiquidem ſoſpes ſoſpitis huius eras.

S. SOTER *Montanum Hæreſiarcham Anathematis fulmine perculit.*

II.

Sacrorum, Montane, parens te deuouet Orco,
Et Vaticani fulminis igne petit.
Nulla ferè feriunt demiſſas fulmina valles,
Montano incurrunt fulmina ſæpe jugo.

XXII. APRILIS.

S. MVCIVS *M. ante Decii currum vinctus ducitur, ſed illius ſoluta ſunt repentè vincula.*

I.

Nequicquàm laqueis Tortor te ſtringit inermem,
Lapſa tuis manibus ſponte catena fluit.
Quid ſacræ meruêre manus, hæc vincula norunt,
Norunt hæ pedicæ, quid meruêre pedes.
Nec manus eſt manicis, nec pes eſt cõpede dignus,
Sola fuit palmis debita palma tuis.

XXIII. APRILIS.

S. GEORGIVS *M. bellicâ laude præſtans acerrimè in deorum falſa numina pugnauit.*

I.

INter & hoſtiles gladios, & Martis agones,
Strenuus horrifici fulminis inſtar abis.

Te nemo ſtrauiſſe hoſtes miretur, in ipſos
Qui te magnanimum viderit eſſe deos.

Ad S. GEORGIVM *multarum palmarum Athletam.*

II.

Machina vulnificis latè mucronibus horret,
(Hæc quoque ſupplicii pars fuit vna tui.)
Nimirùm his citiùs calcaribus excita virtus,
Fertur ad extremum, quo priùs ibat, iter.
Saxa ſupinato dum fers prægrandia vultu,
Te ſeptum Herculeis viribus eſſe probas.
Dùm Iouis & leuium ſternis ſimulacra deorum,
Eſſe doces vanos, friuola ſpectra, deos.
Vna tuis ſupereſt addenda corona trophæis,
Quæ tibi, ſis capitis quamlibèt orbus, erit.
Nam tibi geſtandam Tortor dat habere coronam;
Dùm tibi, quam gereret, ſuſtulit enſe caput.

XXIII. APRILIS.

Beatus ÆGIDIVS C. S. FRANCISCI *comes, tribus Liliis è terrâ eductis illibatum Virginis pudorem teſtatur.*

I.

Vt probet Ægidius, diuinæ Matris honorem
Vel leuis intactum labe fuiſſe notæ:
Seu ſine prole foret, fieret ſeu pignore Mater,
Seu poſtquàm parto pignore Mater erat;
Ter baculo percuſſit humum, ternúſque repentè
Flos de percuſſâ ſurgere viſus humo.
Et quotiès feriit, totiès noua Lilia ſurgunt,
Et ſi plura velit ſurgere, plura forent.
Nam plagis gaudebat humus, fœtúque parabat
Pandere percuſſos fertiliore ſinûs.

Illa tui, Virgo, testes sunt Lilia floris,
Ille tuæ candor Virginitatis erat.
Sed quamquàm albescat candoris amabile germẽ,
Flore pudicitiæ candidiore nites.

Ad B. ÆGIDIVM *flores è terra gremio educentem.*

II.

Diue, tuos miror, spontanea Lilia, flores,
Quos facili tellus fert inarata sinu.
Quæ noua plantandi ratio, quæ forma serendi;
Hìc vbi nec vomer, nec ligo versat humum?
Si tellus abit in flores percussa bacillo,
Fer baculum, & campo quolibèt hortus erit.

XXIV. APRILIS.

S. MELLITVS *Episc. Anglicanus aras scelestis interdixit.*

I.

ET factis Mellitus eras, & nomine, Præsul,
Nec feritas inerat moribus vlla tuis.
Attamen è sacris tibi pellitur impius aris,
Nempè caret stimulo nulla Melissa suo.
Ignauum, Fucos, pecus à præsepibus arcet,
Tu sacrâ infandum vulgus ab æde fugas.

S. MELLITVS *diuinitùs restinxit incendium.*

II.

Iam mediam furit ignis edax grassatus in vrbem,
Nec timet affusas flamma rebellis aquas;
At tu sopitis inhibes incendia flammis;
Præsul ab extincto clariùs igne micas.

XXIV. APRILIS.

S. BONA *Virgo nomen ſuum implet.*

I.

Quàm bona ſis, quámq; eximiis te moribus ornes,
Vt ſileas, tua nos nomina, Virgo, docent.

S. BONA *lectulo duriori incubat.*

II.

Stramineo inuoluit thalamo, Bona, Virgo pudorē;
Qui ſolet in reliquis ſæpè perire locis.
Non alio poterat virgo ſecuriùs eſſe,
Eſſe alio poterat molliùs illa toro.

D. BONA *cantûs inter & riſûs moritur.*

III.

Aſſiduos lacrymarum inter quæ vixerat imbres,
Riſûs iure inter debuit illa mori.

XXV. APRILIS.

S. MARCVS *Euangeliſta, à ſacro Vate per leonis ſpeciem qui ei affingitur, expreſſus.*

I.

SYluarum tibi procubuit, fera bellua, terror,
Viſa tibi catuli lambere more pedes.
Ille vel æthereis cecidit delapſus ab aſtris,
Vel dignus certè eſt, qui petat aſtra, Leo.

S. MARCVS *in Ægypto deorum fana & ſimulacra diruit.*

II.

Marce, Paretonium, fortunatique Canopi
Vix premis illato fana prophana pede;

Non mugit velut antè Apis, non latrat Anubis;
Et reliquæ cessant exululare feræ.
Regnator nemorum, claro quē stemmate præfers,
Has rugiente tuus terruit ore Leo.

De D. MARCI *tumulo Italia, Germaniaque certant.*

III.

Et Marci tumulum sibi Tibridis vnda reposcit,
Et sibi iure pari Teutonis ora petit.
Sic septemgeminæ, quas Græcia condidit, Vrbes,
De cunis certant, magne Poëta, tuis.
Nobilior lis ista fuit, quò dignior ille est,
Qui Christi, quam qui scriptor Achillis erat.

XXV. APRILIS.

S. BENEDICTVS XII. *Pontifex Maximus, in agro Tolosano natus, patris Pistoris aut Molitoris filius.*

I.

Subde coronandam triplici diademate frontem,
Lumen Arecomici grande, decúsque soli.
Nam sacri tibi summus apex defertur honoris,
Et te Roma suum flagitat esse caput.
Sic verso leuis orbe rotæ, sic alite dextro,
Summus eris Pastor, qui modo Pistor eras.

S. BENEDICTVS *pro tesserâ aut stemmate Molam frumentariam accipit.*

II.

Panifici, Benedicte, tibi, mola nota parentis,
Pro gentilitiâ sumitur apta notâ.
Nè primi immemorem te fortè quis arguat ortûs,
Versanda est animo sæpiùs illa tuo.

XXVI. APRILIS.

S. MARCELLVS M. *Pontifex Maximus, cùm metu suppliciorum Christi Fidem abiurasset, facti pœnitens Tyrannum adit, cuius imperio obtruncatur.*

I.

INtentas capiti dominas fugit ille secures,
 Cui terra inflexum subdidit ampla caput.
Pœnituit peccasse reum, positóque timore,
 Eiuratam alto prædicat ore Fidem.
Ne-vè suum solâ fateatur fronte pudorem,
 Expetiit toto sanguinis imbre tegi.

XXVI. APRILIS.

S. BASILEVS *Episc. & M. capite minuitur, quod corpori rursùm adiunctum est, remanente tantum in collo cruentâ lineâ.*

I.

Pone caput, vel pone Fidem, nihil intêr vtrúmque;
 Hæc breuis imperij summa sit illa mei.
Talia Rex tibi dicta dedit, sed talia Regis
 Dicta, tibi nullos visa mouere metûs.
Dulcia contemnis perituræ munera lucis,
 Cùm dilecta magis sit tibi lûce Fides.
Iámque jaces sine mole caput, sine vertice truncus,
 Nam fuerant humeris colla resecta tuis.
Trunco iterùm caput adijcitur, monstrátq; superstes
 Linea mansuras sanguinolenta notas.
Ilicèt vt placeas Superis, Superûmque potenti,
 Quòd tua circumdet colla, monile geris.

Ad D. BASILEVM *iussu Licinij Imperatoris obtruncatum, quòd Glaphyræ virginis pudorem seruasset.*

II.

Ceruicem, Basilee, tibi notat indita torquis,
  Nobilis è collo pendula gemma tuo:
Cuius eras vindex visus seruare pudorem,
  Fallor, an à Glaphyrâ virgine munus habes.

XXVII. APRILIS.

S. SITA *V. Proci sibi turpiter insidiantis vultum vnguibus laniat.*

I.

IMprobe, virgineum meditanti carpere florem
  Virgo tibi rigidâ dissecat ora manu:
Dúmque cruor fluidus rubicundo vulnere manat,
  Diceris inuitis erubuisse genis.
Si nescis, non sola suis rosa sentibus horret,
  Flos etiam spinas virginitatis habet.

Ad D. SITAM *in faciem petulci Proci inuolantem.*

II.

Virgo, tuos thalamos temerarius intrat Adulter,
  Traxerat hunc isthùc imperiosus amor.
Vngue petis laceri muliebriter ora Cinædi,
  Hæc dedit imbellis scilicèt arma pudor.
Offensæ sua bilis inest, mihi crede, Columbæ,
  Felle carere quidem fertur, at vngue riget.
Vt rosa vindicibus nunquam sine nascitur armis,
  Sic sua ferre tuus debuit arma pudor.

De D. SITA *Proci vultum vnguibus laniante.*

III.

Accipitrem timidæ metuebant ante Columbæ,
Quas prædo immiti duriter vngue necat:
At nunc, mirandâ rerum nouitate, Columbæ
Vindicis Accipiter sæuus ab vngue timet.

XXVIII. APRILIS.

S. PAPHNVTIVS *M. mola ad collum appensâ in vndas praceps agitur, nec mergitur.*

I.

Ceruicem oppressus vinclis, saxóque molari,
In medias Heros truditur actus aquas.
Enatat, immani scopulo vice corticis vsus,
Nam mola nîl molis, nîl grauitatis habet.
Hic populi attonitas tenet admiratio mentes,
Dùm leuiora leui subere saxa natant.
Ille super liquidas onus immersabile lymphas,
Naufragium in mediis perdit, & optat aquis.
At tu, Tortor atrox, faber ingeniose malorum,
Qui pia prægrandi pondere colla grauas;
Fare, quid appendix ceruicem hæc Martyris ornat?
Illa fuit collo debita bulla tuo.

XXVIII. APRILIS.

SS. THEODORA & DIDYMVS *MM. è quibus illa sumpto istius militari sago pudorem tuetur.*

I.

Vt primùm subiit Didymus deforme lupanar,
Hic vbi sollicito stat Theodora metu,

Hortatus pauidam nîl jàm trepidare Puellam,
Incipit ingenuo ſic prior ore loqui :
Sume meam, Theodora, togã, quid lenta moraris?
Nempè virum vt fugias, te decet eſſe virum.
Præs ego ſum, non prædo tui, mihi crede, pudoris,
Márſque vel inuitus Cypridis hoſtis erit.
Illa diù dubitat, tectáſque in Milite fraudes
Credit, & ancipiti nutat vtrínque fide.
Vix tandem poſitâ galeam cunctata calyptrâ,
Vix chlamydem poſito ſumit honeſta peplo.
Protinùs egreditur laribus, vultúmque tegendo,
Admiſſum viſa eſt erubuiſſe ſcelus.
At poſtquàm patuêre doli, cum Virgine Miles,
Mortem cum ſocio Milite Virgo tulit.
Fortunatæ animæ! rutilis quas junget in aſtris,
Iunxit vt in terris inuiolatus amor.
I Didyme, I Theodora, faces lucete gemellæ,
Pulſa ſuo cedant aſtra Lacæna loco.
Pro Polluce dehinc eris alter in æthere Pollux,
Altera pro gemino Caſtore Caſtor eris.

Noua Didymi & Theodorae *Metamorphoſis*.

II.

Conuerſam quid fama refert in Cænea Cænin?
Ecce recens ætas hæc quoque monſtra tulit.
Nam propè mutato mutant inſignia ſexu,
Militis hinc pietas, Virginis inde pudor.
Qui modò vir fuerat Didymus, fit maſcula Virgo,
Virgoque quæ fuerat, vir Theodora fuit.

Ad Venerem de S. Theodora *armatâ*.

III.

Optati, Cytherea procax, ſpem pone triumphi,
Spernet Acidalios tuta Puella dolos.

Si nullis Theodora priùs te vicerat armis,
Quid modò, cùm fortis Militis arma geras?

XXIX. APRILIS.

S. PETRVS *M. Ordinis Prædicatorum, parentes Hæreticos habuit.*

I.

NAsceris Hæreticis cùm Petre parentibus infās,
E Tribulis natam vidimus esse Rosam.

XXIX. APRILIS.

S. HVGO *Cluniacensis Abbas, & propter morum grauitatem totius Ordinis Præpositus Generalis electus.*

I.

Qui leuis est, sursùm euehitur, grauitásq; deorsùm
Fertur, & impositum pondus ad ima trahit.
At tibi, delati scandas vt culmen honoris,
Moribus & vitâ profuit esse grauem.

S. SPIRITVS *Columbæ specie conspicuus*, HVGONIS *capiti sæpe imminere visus est.*

II.

Pneuma sacrum niueæ, tectum candore Columbæ
Sæpè tuas circùm vidimus ire comas.
Nouerat hospitij candentis amica volucris,
Diue, tui, puros pectoris esse lares.

Fulgentius Abbas vidit Angelos super astra lectulum S. HVGONI *sternentes.*

III.

Diue, illo dabitur quàm molliter esse cubili,
Quod tibi cælestes composuere manus!

XXIX. APRILIS.

S. CATHARINA SENENSIS *V. adhuc infans ad ſingulos ſcalarum gradus ſalutationem Angelicam percurrit.*

I.

Dùm ſcalam aſcenſu Catharis perreperet infans,
Sæpè ſalutatâ Virgine, dixit Aue;
His gradibus virtutum apices Virguncula ſcandit;
Ad cælum his gradibus prouida ſternit iter.

D. CATHARINA *cor ſuum Chriſto tradit.*

II.

Cor tibi cùm Catharis jam tranſmiſiſſet habendũ,
Viſa tibi ſimiles eſt dare, Chriſte, ſonos:
Chriſte, quies animi, mentíſque pudica voluptas,
Inſero pectoribus cor ego jure tuis:
Nam theſaurus vbi eſt tutâ mihi ſede receptus,
Cor inibi pariter debuit eſſe meum.

D. CATHARINA *cor ſuum cum Chriſti corde permutat.*

III.

Chriſtus amans & amãs Catharis, cor pignus amo-
Alternante ſibi dant, capiúntque manu; (ris
Cùm det, & accipiat, cor corde rependit vterque,
Nec minor eſt dantis, quàm capientis amor.

D. CATHARINA *ad* CHRISTVM.

IV.

Nunc animis nos nemo neget concordibus ambos,
Ipſe meum cor habes, Chriſte, cor ipſa tuum.

D. CATHARINA *corde suo orba.*

V.

Dùm sine corde suo sapienter redditur excors,
Cordatam Catharis se magis esse putat.
Et dixit, poterit certè dixisse videri,
Aut hos aut similes còrdis egena sonos:
Nè vecors sine corde vocer, nam cordis egenti
Quò minùs est cordis, plùs mihi cordis erit.

Ad CHRISTVM.

VI.

Thesaurum dederat Catharis tibi nuper (amorem:)
Theca tibi pariter debuit ipsa dari.

D. CATHARINA *Coronam spineam à Christo oblatam gemmeæ præfert.*

VII.

E geminis me, Christe, jubes optare coronis:
Hæc grauis est gemmis, est grauis ista rubis.
Malo vepres, nã gẽma mihi malè tẽpora stringat,
Dùm tua perplexis sentibus hirta rigent.
Cingite, vulnifici, mea tempora, cingite rhamni;
Spina suas olim proferet ista rosas.

D. CATHARINAE *caput spinis coronatum.*

VIII.

Iure caput roseum spinis Catharina coronat,
Addita spina suis debuit esse rosis.

D. CATHARINA *vlcus putridum Mendici exsugit.*

IX.

Poscit inops, tabóque fluens de ponte rogator,
Turbæ imploratam prætereuntis opem.

Horruit aspectu Catharis, longéque refugit,
Nec potuit fluidam cernere victa luem.
Mox vindex animosa sui, Quod cernere, (dixit)
Non poteras tabum Virgo, Virago bibes.
Et citiùs dicto, cœlesti concita motu,
Appressit geminis spurca venena labris:
Dúmque bibax fugit, Valeant, ait, vbera matris,
Dulcius ex isto vulnere nectar abit.

XXX. APRILIS.

S. FRANCISCVS SENENSIS C. *iam demortuus, ore Lilium parturit.*

I.

PErmenso, Francisce, tuæ data tempora vitæ,
Clauserat extremus jam tibi fata dies.
Nè tamen à solito post funera munere cesses,
Fundis ab exanimis Lilia viua labris.
Scilicèt edidicit tam nobile fundere germen,
Virgineas recitat dùm pia lingua preces.
Cur similes jam nemo parit post funera flores?
Non sat erat vitæ tempore cultus ager.





MENSIS MAIVS.

PRIMA MAII.

SS. IACOBVS & PHILIPPVS *Apostoli.*

I.

E Terris vos vna dies ſimul abſtulit ambos,
Vóſque aſtris ambos intulit vna dies;
Quos pietas, vitæque pares quos munia reddunt,
Reddere mors pariter debuit vna pares.
Diſparibus tamen impietas vos ſuſtulit armis,
Tu, Iacobe, cadis Fuſte; Philippe, Cruce.
Ite animis meritíſque pares, totúmque per orbem,
Irradiet veſtrâ nobile luce iubar.
Nemo mihi illuſtres Maij neget eſſe Calendas,
Cùm niteat gemino fulgida ſole dies.

Ad D. IACOBVM *è ſummo Templi faſtigio deiectum.*

II.

Quàm longè à vero Tortor delirus aberrat!
Te ruere in terram credit, in aſtra volas.

I. MAII.

S. SIGISMVNDVS *Burgundionum Rex, Sigericum Priuignum, impellente Nouercâ, occidit, abolitoque lacrymis scelere, in bello captus sanctè moritur.*

I.

Dulcibus illecebris, philtróque potente Nouercæ,
 Vitricus efficitur, qui fuit antè parens:
Námque insons, Sigerice, cadis; tibi mortis acerbæ
 Causa fuit, vitæ qui priùs autor erat.
At lacrymis immane nefas, planctúque sonoro,
 Eluit indignum Rege Parente scelus.
Pòst bello implicitus capitur, totúmque cruorem,
 Quem malè libarat, sanctiùs ille litat.
Nec mora; Cælituum cantu, faculísque sepulchrũ,
 Quò cinis infertur Regius, astra notant.
Morbida concurrit plebes, tumulóque propinquat,
 Sed sanus, quisquis venerat æger, abit.
Sic scelus admissum largo Rex fœnore pensat,
 Et multos, soboli qui nocet, ille iuuat.
Visus erat vitam priùs vni tollere Nato,
 Pluribus hanc longè restituisse vides.

II. MAII.

S. ATHANASIVS EPISC. *Alexandrinus, in pueritia vltra ætatem maturus.*

I.

PRimæuis puerile puer nihil exhibet annis,
 Nam puer in puero cernitur esse senex.
At nunc, (quæ nostri maculosa infamia sæcli!)
 In senio pueros cernimus esse senes.

S. ATHANASIVS *locis omnibus ab Arrianis pellitur.*

II.

Accola te Rhodani, gelidi te potor Araxis,
Exclusere suis, nobilis Erro, plagis.
Omnibus & terris jactaris, & omnibus vndis,
Vt pila robustâ pulsa, repulsa manu.
Transfugis Occiduas ab Eois rursùs in oras;
Et meritis metam solis vtrámque reples.
Nec nemus arboribus, nec te iuga cæca cauernis,
Nec latebris vrbes occuluêre suis.
Cùm tibi, quam teneas, nec terra, nec vnda superſit,
Omnibus exclusus sedibus, astra pete.
Te requies ibi certa manet, finísque laborum,
Hîc erit exilij meta, modúsque tui.
Téque vagis similem credat fore nemo Planetis,
Nam fixum in cæli cardine sydus eris.

S. ATHANASIVS *asserens Christum esse Patri ὁμοούσιον, & non ὁμοιούσιον, in exilium pellitur.*

III.

Pulsus in exilium, Præsul, ne fortè vel vna
Mutetur vocis syllaba, mutat humum.
Quanquàm alium ex alio magnus migret Exul in (orbem,
Perstitit immoto mens tamen alta loco.
Extorris nusquàm ille fuit, nam piscibus æquor,
Aër-alitibus Patria, Terra viris.

Ad D. ATHANASIVM *Profugum.*

IV.

I velox, nec terra vllo te limite sistat,
Quas incúnque plagas te vagus error aget.

Diue, tibi totus peragrandus passibus Orbis,
Nullaque non pedibus terra terenda tuis;
Vt Palmas, Laurósque, (sacri monimēta triumphi)
Immenso latè victor in orbe feras.

Ad D. ATHANASIVM, *vt se Religionis bono seruaret, fugæ præsidio prudenter vtentem.*

V.

Dùm superas fugiendo tuos feliciter hostes,
Inclyta Parthorum prælia more geris.

Ad eundem.

VI.

Quid faceres, gressu stares si firmus in vno,
Cùm superes hostes vel fugiendo tuos?

S. ATHANASIVS *in patrio sepulchro quatuor Mensium spatio delitescit.*

VII.

Vt mortem fugeret, mortem petit, ínque sepulchrū
Conditur emenso pulsus ab orbe Senex.
Hîc Tumulum moriturus habet, victurus Asylum,
Siue sit in fatis viuere, siue mori.
Iámque recurrebat plenæ quater orbita Lunæ,
Præsul ab his tenebris redditus, astra videt.
Non aliter longos rediuiuum rursùs in annos,
Phœnicem patrius dat superesse cinis.
Atque ita mutatis fata in contraria rebus,
Hic locus est vitæ, qui fuit ante necis.

D. ATHANASIVS *in Patris tumulo conditus.*

VIII.

Te quondam, Astyanax, patriâ tua mater in vrnâ
Texit, vt Argolicis subtraherere dolis.

Sed frustrà; nam te indago pellacis Vlyssis
Traxit ab Hectoreo, matre gemente, rogo.
Sic Fidei assertor totum vagus antè per orbem,
Conditur hoc ipso, quo patris ossa, loco.
At fato meliore latet, nam funebre bustum
Quod fuerat, vitæ Præsul Asylon habet.
Cúmque diù latebras Nato Patris vrna dedisset,
Posthumus æthereo cernitur axe frui,
Sic vitam, quod posteritas mirabitur omnis,
Bis Patri acceptam rettulit ille suo.

De ATHANASII *nomine.*

IX.

In gelido sua restat adhuc cui vita sepulchro,
Iure sibi Athanati nomen is vnus habet.

Arriani, manum tanquàm Arsenij, quem ab ATHANASIO *dicebant occisum, in medium proferunt.*

X.

Cur sectam Arsenij mendax fert fabula dextram?
Deuotam Magicis cur ait esse sacris?
Vt Pugil aduersos superet fortissimus hostes,
Alterius sociâ non eget ille manu.

D. ATHANASIVS *post varios labores feliciter exantlatos placidè moritur.*

XI.

Ille laborifero Alcidæ non viribus impar,
Ille giganteo robore fultus Atlas,
Perfunctus mille insidiis, & mille periclis,
Cùm felix demùm viuere posset, obit.
Astra petit victor, nullus quem perferat vltrà,
Cernitur in terris cùm superesse labor.

De D. ATHANASII *laudibus*.

XII.

Heroa ingentem digitali pingo tabellâ,
Complexus breuibus grandia facta notis,
Sic sæpè, immensus cui vix suffecerat orbis,
Pingitur exiguo magnus in orbe Gigas.

II. MAII.

S. ANTONINVS *Episc. Florentinus Chronologiæ scriptor.*

I.

Scribere præclarè gestas ex omnibus vnus,
Qui res præclarè gesserat, aptus erat.

Ad D. ANTONINVM *Episcopum simul & Historicum.*

II.

Pontificem Lituus, (venerandæ insignia dextræ,)
Historicum Calamus te tuus esse probat.
Nec facilis dicam, si quis me judice certet,
An Lituo, an Calamo nobiliore fores.

III. MAII.

Inuentio S. CRVCIS.

I.

TEmpla Dioneæ stabant celeberrima matri,
Hic vbi Crux Christi pensilis ante fuit.
Illìc sæpe aliquis magnum veneratus Iesum,
Visus Acidalias est coluisse faces.
Nam sacræ vexilla Crucis, germénque ver endum
Terra diu cauto texit auara sinu.
Principis Augustæ iussu, curâque sagaci;
Prodiit effossâ nobile pignus humo.

Ter complexa auidis Helene cupidissima palmis,
Oscula postquàm illi mille dedisset, ait:
Vestra triumphantes diademata ferte Tyranni,
Ferte Semiramiæ regia sceptra manûs:
Crux sceptrum, diadema Vepres; redimicula Claui;
Et mea, Christe, tuus purpura Sanguis erit.

S. HELENA *partem inuentæ Crucis cum geminis Clauis ad filium Constantinum dono mittit.*

II.

Segmine te Crucis, & mater te Cuspide donat,
Quæ Domini fossos transiit acta pedes.
In pretio data, Cæsar, habe; nam munera Mater
Nunquam aliàs Nato nobiliora dedit.
Nil tibi gemmiferis Ganges quod mittat ab vndis,
India Nil maius quod tibi tradat, habet.

Constantinus vnum è Clauis ab Helena matre acceptis, diademati, alterum fræno Imperatorio inserit.

III.

Accipe defecti fragmen venerabile Ligni,
Quod tibi dat facilis, Cæsar, habere parens.
Addidit & geminos, munus memorabile, Clauos,
Qui geminas Christi transabiêre Manûs,
Victores astrorum Apices agnosce, tuósque
Nuper in hâc hostes te superasse notâ.
Annuis, & Clauis orbem diadematis ornas,
Ornas indomiti fræna decorus equi.
I nunc, & medios irrumpe timendus in hostes,
Et preme turbatos auspice Marte viros.
Tartara queis Christus domuit, Parcámque ferocẽ,
Ecquis erit quem non hæc modò Tela domenti?

III. MAII.

S. ALEXANDER *Pontifex Maximus.*

I.

Magnus Alexander toto fuit alter in orbe,
At meus hic toto Maximus orbe fuit.

S. ALEXANDER *aquâ lustrali domos expiat, ac stygios hospites fugat.*

II.

Ridiculos Lemures sacrati aspergine fontis,
Mysta procul totis ædibus esse iubet.
Quis credat? Res vera tamẽ,Phlegetontius hostis
Prægelidam in mediis ignibus horret aquam.

IV. MAII.

S. PVLCHRONIVS *Virdunensis Episc. à D. Lupo Trecensi Episcopo educatur.*

I.

Candidus à teneris pulcher Pulchronius annis,
Et vitâ & vitæ moribus Agnus erat.
Aurea iure iterùm rediisse putabitur ætas,
Agnus ab innocuo pascitur iste Lupo.

IV. MAII.

S. MONICA *Augustinum filiumsuum ab Hæresi & impietate reuocat.*

I.

Natum inhibet monitis, fletúq; miserrima Mater,
Dùm scelus excusso fertur in omne iugo.
Vnum aliis reliqui debent genitricibus ortum;
At geminum Matri debuit iste suæ.
Parturit hunc primùm terris, dein parturit astris,
Bis fuit hic genitus, bis fuit illa parens.

V. MAII.

Conuerſio S. AVGVSTINI *Hipponenſis Epiſcopi.*

I.

FLe, Monica, & juſtum lacrymis teſtare dolorẽ,
Progenies peſsùm ne tua prorsùs eat.
Pupillæ poterunt, quod non potuere papillæ,
Et poteris luctu, quod dare lacte nequis.
Parta vtero, parienda oculo venit vbere proles;
Inque puerperio perpes vtroque dolor.
Hæ lacrymæ riſum Superis, hic gaudia mœror
Parturiet, luctus jubila, feſta dolor.
Et dicent rediuiua tuæ poſt funera prolis,
Cùm data vita ſemel, reddita rurſùs erit;
Suſcitat exanimem Pelicanus ſanguine prolem;
Hanc lacrymis Mater ſuſcitat iſta ſuis.

AVGVSTINVS *ſuaui* AMBROSII *eloquentiâ ab hæreſi Manichæorum abducitur.*

II.

Edomat errorem, domat Auguſtinus amorem,
Eque vno geminus corde Tyrannus abit.
Hauſerat infuſum Manichæo dante venenum,
Dulciter antidotum Præſule dunte bibit.
Ingratus Medicorum aliis ſuccurrit amaror,
Diue, tibi epoto reddita melle ſalus.

Ad D. AMBROSIVM *melleâ eloquentiâ* AVGVSTINVM *delinientem.*

III.

Sæpè alij volucres viſco cepēre minores,
At tu Aquilam ſolers aucupe melle capis.

Ad D. AVGVSTINVM *nouâ arte sanatum.*

IV.

Quæ noua sanandi ratio? tibi Præco disertus
Ore dat antidotum, Diue, quod aure bibis.

Qui fecerit, & docuerit, hic Magnus vocabitur in Regno cælorum Matth. 5.

Ad D. AVGVSTINVM.

V.

Augustine facis, quæ digna fuere doceri,
Tu quoque quæ fieri digna fuere, doces:
At quisquis peragenda docet, peragitque docenda,
Ille vnus punctum Maximus omne tulit.

V. MAII.

S. MAVRONTVS C. *circa cuius caput apem volitantem* D. AMANDVS *conspexit.*

I.

Dum sacrã acclinis, Mauronte, precaris ad aram,
Est ter apis crines lambere visa tuos:
Nè temerè, aut nullo credas id Numine factum,
Illa tuæ florem virginitatis amat.

V. MAII.

S. ANGELVS *Carmelita vtroque parente Iudæo editus.*

I.

Angele, Iudæi dùm te genuêre parentes,
Gignit odoriferam spina marita rosam.

V. MAII.

S. IVTTA *vidua lectitandis Diuorum factis à teneris annis assueuit.*

I.

Et leggere, & vitam Cælestûm degere gaudet
Iutta, sui socio præmoriente tori.

Qui legit, & degit, sapiens hic vnus habetur,
Fertilis hic, sterilis nam labor alter erit.

VI. MAII.

S. IOANNES EVANGELISTA *è lebete feruentis olei illæsus emergit.*

I.

SOspes ab innocuo, quamuis ferueret, oliuo
(Vt qui blanda subit balnea) Diuus abit.
Nam cui nulla suis nocuit Venus improba flammis,
Huic neque vis etiam Palladis vlla nocet.

VI. MAII.

S. IOANNES DAMASCENVS, *à Leone Isaurico Iconoclastâ dextrâ orbatur, dùm scriberet pro tuendis sacris imaginibus.*

I.

Terribilem alarum plausum fugêre Leones,
Et Galli auditos pertimuêre sonos:
Quæque solet nemorum cultoribus esse pauori,
Territat Armeniam crista superba jubam.
At nunc, Diue, leuem quam fert tua dextera pennã,
Dicitur horribilis pertimuisse Leo.

S. IOANNES DAMASCENVS *abscissam sibi dexteram ope Virginis recuperat, superstite tantùm lineâ miraculum testante.*

II.

Ille Damascenâ nomen qui traxit ab vrbe,
Clarus honore, grauis moribus, ore potens:
Obtulit indigno resecandam vulnere dextram,
Dùm causam offensæ Virginis acer agit.
Nec mora; truncati plagam miserata Clientis,
Sanauit medicâ Virgo patrona manu.

Linea, ſed tanti monimentum inſigne fauoris,
Reſtitit impreſſis ſanguinolenta notis.
Diue, alij pretioſa ſibi dextralia quærant,
Hâc eſſe armillâ ditior vlla nequit.

Ad D. IOANNEM DAMASCENVM *ope Virginis ſanatum.*

III.

Cælituum dum ſigna, Heros inuicte, tueris,
Cæditur immani vulnere docta manus.
Mox ope diuinæ, (dictu res mira!) Parentis,
Redditur antiquo dextera juncta loco.
Linea purpureæ ſuperauit more coronæ,
Nempe coronanda eſt tam generoſa manus.

Ad S. IOANNEM DAMASCENVM *de manu ipſi à Virgine reſtitutâ.*

IV.

Quam tibi mordaci laniauit forcipe Cæſar,
Virgo tibi laceram reddit amica manum:
Sed plagâ coëunte, manet rubicunda cicatrix,
Quæ nota ſanati vulneris apta foret.
Profuit iniuſti rabies optanda Tyranni,
Prodigium nequiit ſalua probare manus.

VII. MAII.

S. STANISLAVS M. *Epiſc. Cracouienſis mortuum è tumulo excitauit, qui fidem faceret coram Boleſlao Rege, ſoluta iam pridem pro agro pecunia.*

I.

Diue, tuis Natura parens virtutibus hæret,
Hæret prodigiis obſtupefacta tuis.

Nam muto accersis rediuiuum è marmore testem,
Qui faciat certam, judice Rege, fidem.
Sistit ad humanum se funebris vmbra tribunal,
Quæ steterat solium Iudicis ante Dei.
Quis credat? nisi sit populosa Polonia testis,
E gelido Vadem te reuocasse rogo?
Hei mei! quis viuis jam fidere testibus ausit,
Condita sub tumulo si latet ipsa fides?

Fides è terris exul.

II.

Excitat è tumulo testem, litique secandæ,
Veridico Mystes imperat ore loqui.
Ad Superos Astræa fugax abscesserat olim,
Ad stygios Manes nunc fugit alma Fides.

S. STANISLAVS *à Boleslao Rege occisus in partes conciditur, quæ rursùs in vnum coalescunt.*

III.

Sparsa solo tua membra jacent, quæ rursùs in vnū
Mirificis redeunt associata modis.
Dùm coiit lacerum firmâ compagine corpus,
Nunquid erat gluten, qui fuit ante cruor?

D. STANISLAI *corpus exanimum Aquilæ tutantur.*

IV.

Cæde profanatas cecidit mactatus ad aras,
Regali Antistes victima danda manu.
Quattuor excubias Aquilæ pugnacibus alis,
Donec humo corpus contumuletur, agunt.
Diue, satellitio custos te protegit Ales,
Armiger ætherei qui fuit ante Iouis.

Ad D. STANISLAVM, *de Aquila ipsius corporis custode.*

V.

Te circum excubias auium regina volantûm,
 Diue, pharetrati militis instar agit;
Ne fortè exangues lanient immaniter artûs,
 Et rostro pauidas pellit, & vngue feras.
Non humiles dominos amat imperiosa volucris,
 Vel tibi, vel summo seruiit illa Ioui.

VII. MAII.

S. FLAVIA DOMITILLA V. & M. *ignibus à Luxorio in tecta iniectis, vnà cum aliis duabus Virginibus illæsa perstitit.*

I.

Casta tuas, Hymenæe, faces Domit illa recusat,
 Antè sepulchralem ferre parata rogum:
Nam laribus rapidos Luxorius inijcit ignes,
 Quos pia cum geminâ Virgine Virgo colit.
Flamma crepat, ruptísque furens Vulcanus habenis
 Fertur, & in cineres jam domus omnis abit:
Virgineos tamen ignis edax non attigit artûs,
 Et tulit impastam sobrius ille famem.
Nam quibus antè suo nocuit nihil igne Cupido,
 His nihil ipse suo Mulciber igne nocet.

S. FLAVIA DOMITILLA *in Insulam Pontiam relegatur.*

II.

Quàm tibi præferri, mauis perferre secures,
 Flauia Virginei gloria rara chori.

Nec nisi quà ferus est, peragit sua munia Lictor ;
Officiíque aliud nîl tibi, Virgo, petis.
Pelleris extremas terrarum extorris in oras,
Nec tibi Romuleâ fas fuit vrbe frui.
Vnius tamen exul eras non ampliùs vrbis,
Ciuis at immensi, quà patet, Orbis eras,

VIII. MAII.

Apparitio S. MICHAELIS ARCHANGELI.

I.

HIC vbi, Gargani tollunt se culmina montis,
Fugerat excusso taurus aratra jugo :
Hunc cursu, jaculóque petit pastoria pubes,
Si qua vagum sistat missilis hasta bouem.
At redit adducto, dictu mirabile! neruo,
Rursùs in autorem versa sagitta suum.
Nam tutela loci Michael, tutela juuenci,
Hunc sibi deuotum sanciit esse locum.
Quas te, Diue, homini par est impendere curas,
Si tibi de bobus cura, labórque fuit ?

VIII. MAII.

S. AMATVS C. *Fratri eiusque vxori iniustè odio habitus*

I.

Sis Fratri, & Glori quamuis inuisus vtrique,
Et Glori & Fratri semper Amatus eris.

IX. MAII.

S. GREGORIVS *Episc. Nazianzenus, spretâ, ad quam vocatur, Infulâ, in eremum secedit.*

I.

QVàm cupidè mortale genus sibi prĕsat honores
Te sibi tàm cupidè prensat, & ambit honos.

Nam velut vmbra ſequax tergo fugientis inhæret,
Captantes leuiter fallere docta manûs.
Sic leuis inſtat honor dorſo comes vſque fugaci,
Sectantémque vagâ mobilitate fugit.
Te nemorũ latebris nequicquàm inglorius abdis,
Gemma ſuo radiat lumine, ſi qua latet.
Te venatur honos, at erit venatio felix,
Commodus eſt prædæ, quò fugis, ipſe locus.

Ad D. GREGORIVM *Pontificiæ dignitatis onus recuſantem.*

III.

Dùm Lituum, Antiſtes, refugit tua dextera, noras
Impoſitum quanti ponderis eſſet onus.
Ardentem ſtellis latè radiantibus axem,
Bajulus infracto vertice fulcit Atlas.
Quis mihi narranti credat? Par róbur Atlantis
In quo conſtiterit vertice, Mitra petit.

X. MAII.

S. GLYCERIA *V. & M. inter Leones tuta.*

I.

CArnificum rabiem, flammáſque vncóſq; rotáſq;
Vicerat indecori libera Virgo metu.
Bellua præteritos auxit ſuperata triumphos,
Auxerunt domitæ prima trophæa feræ.
Nam nemorum terror, blandæ Leo more Catellæ,
Lingit inoffenſos Virginis ore pedes.
Parcite virgineo, Lenonum turba, pudori;
Aut rabidas vincet veſtra libido feras.
At tu, Nympha, alio nè quære ſatellite cingi;
Hoc tibi præſidio tutius eſſe nequit.

D. GLYCERIA *Cruce insignita Iouis statuam diruit.*

II.

Stat Cruce formosam munita Glyceria frontem,
Certa profanatis non dare thura focis.
Illa Iouem, ridétque Iouis iaculabile fulmen,
Grande coruscanti quod tenet ille manu.
Nam subitò collapsa ruit, mandante Puellâ,
Proxima quæ summi stabat imago Iouis.
Quóque prius turres feriit iaculatus ahenas;
In varias partes fusile fulmen iit.
Rerum fama loquax, leuibus quæ garrula linguis,
Et facta, & fieri quæ potuêre, canis:
I nunc, & domitos iacta Iouis igne Gigantas,
Fulmina Virgineus cum domet ipsa pudor.

Ex D. GLYCERIAE *tumulo oleum effluit.*

III.

Fundit odoriferum tumulo noua Pallas oliuum;
Commodior nullus fluxerat antè liquor.
Scilicèt vt nunquàm Ceroma parabile desit,
Quò liniat castus fortia membra Pugil.

XI. MAII.

S. GANGVLPHVS C. *adhuc adolescens venationi deditus impurum amorem fugat.*

I.

EXosus Cyprias Gangulphus amabilis artes,
Turpiaque arcitenens quæ gerit arma puer,
Venatur, teretíque decens accingitur arcu,
Et docili figit terga ferina manu.
Sic placidos agitat per amœna silentia soles,
Pestifero nullas passus ab igne faces.
Tu quoq; Virginei quem candor honestat amoris,
Quíque verecundæ lilia mentis amas:
Dulcibus intentus curis sectare laborem,
Et fuge quæ torpens otia Cypris amat.

Nam mala si studiis solertibus otia vites,
Nil Cypris, aut oberit Cypridis ipse puer.

XII. MAII.

S. Pancratius M. *quatuordecim annorum Adolescens, fonte lustrico antè expiatus, pro Christo moritur.*

I.

Pancratius dempto tria lustra peregerat anno,
Ingenuâ morum nobilitate puer.
Expetiit lymphis lustralibus antè piari,
Quàm pugilem fusi sanguinis vnda lauet.
At postquàm è sacris niue purior exiit vndis,
Murice natiui sanguinis ille rubet.
O quàm nullius vita hæc est conscia labis,
Quam geminus gemino diluit amne liquor?

XII. MAII.

S. Epiphanius *ex Pastore ouium Constantiensis Episc.*

I.

Insigni pietate puer, morûmque nitore,
Ad sua lanigeras pascua ductat oues:
Prædonésque lupos tutis ab ouilibus arcet,
Armat enim dociles funda, pedumque manûs.
Tàm benè qui fidi munus Pastoris obiret,
Alterius custos debuit esse gregis.
Debuit, & factum est, sacri nam Pastor ouilis
Ille fuit, pecudum qui modò Pastor erat.

D. GLYCERIA *Cruce insignita Iouis statuam diruit.*

II.

Stat Cruce formosam munita Glyceria frontem,
  Certa profanatis non dare thura focis.
Illa Iouem, ridétque Iouis jaculabile fulmen,
  Grande coruscanti quod tenet ille manu.
Nam subitò collapsa ruit, mandante Puellâ,
  Proxima quæ summi stabat imago Iouis.
Quóque prius turres feriit jaculatus ahenas;
  In varias partes fusile fulmen iit.
Rerum fama loquax, leuibus quæ garrula linguis,
  Et facta, & fieri quæ potuêre, canis:
I nunc, & domitos jacta Iouis igne Gigantas,
  Fulmina Virgineus cum domet ipsa pudor.

Ex D. GLYCERIAE *tumulo oleum effluit.*

III.

Fundit odoriferum tumulo noua Pallas oliuum;
  Commodior nullus fluxerat antè liquor.
Scilicèt vt nunquàm Ceroma parabile desit,
  Quò liniat castus fortia membra Pugil.

XI. MAII.

S. GANGVLPHVS C. *adhuc adolescens venationi deditus impurum amorem fugat.*

I.

EXosus Cyprias Gangulphus amabilis artes,
  Turpiaque arcitenens quæ gerit arma puer,
Venatur, teretíque decens accingitur arcu,
  Et docili figit terga ferina manu.
Sic placidos agitat per amœna silentia soles,
  Pestifero nullas passus ab igne faces.
Tu quoq; Virginei quem candor honestat amoris,
  Quíque verecundæ lilia mentis amas:
Dulcibus intentus curis sectare laborem,
  Et fuge quæ torpens otia Cypris amat.

Nam mala si studiis solertibus otia vites,
Nil Cypris, aut oberit Cypridis ipse puer.

XII. MAII.

S. PANCRATIVS M. *quatuordecim annorum Adolescens, fonte lustrico antè expiatus, pro Christo moritur.*

I.

PAncratius dempto tria lustra peregerat anno,
Ingenuâ morum nobilitate puer.
Expetiit lymphis lustralibus antè piari,
Quàm pugilem fusi sanguinis vnda lauet.
At postquàm è sacris niue purior exiit vndis,
Murice natiui sanguinis ille rubet.
O quàm nullius vita hæc est conscia labis,
Quam geminus gemino diluit amne liquor?

XII. MAII.

S. EPIPHANIVS *ex Pastore ouium Constantiensis Episc.*

I.

Insigni pietate puer, morúmque nitore,
Ad sua lanigeras pascua ductat oues:
Prædonésque lupos tutis ab ouilibus arcet,
Armat enim dociles funda, pedumque manûs.
Tàm benè qui fidi munus Pastoris obiret,
Alterius custos debuit esse gregis.
Debuit, & factum est, sacri nam Pastor ouilis
Ille fuit, pecudum qui modò Pastor erat.

S. EPIPHANIVS *annum agens decimum-quartum supra centesimum, tempestate iactatus in mari moritur.*

II.

Annorum numerum meritis qui grandibus æquas,
Diue, procellosas oppetis inter aquas,
Vt jàm fessus eras, senio tardante, viarum,
Te decuit cursu nauis ad astra vehi.

Audaculus quidam EPIPHANII *mortui nudum corpus inspicere tentans, ictu pedis repellitur.*

III.

Cernere nescio quis dùm post tua funera, Præsul,
Detractâ nudum sindone corpus auet:
Tu licèt exanimis petulantem calce repellis,
Factus honestatis vel moriendo memor.
Nam tibi qui fuerat vitâ remanente superstes,
Viuit inextinctus post tua fata pudor.

XIII MAII.

S. IOANNES SILENTIARIVS C. *stellâ praeunte in Cœnobium ducitur.*

I.

I Sequere illustrem, quæ fulget in æthere, flāmam,
Quæque tibi certum præuia monstrat iter.
Hâc duce tutus eris, nec te vagus auferet error,
Iamdudùm ad Christum ducere sidus amat.

S. IOANNES *dictus* SILENTIARIVS *quòd totos nouem annos in specu silentio transegerit.*

III.

Qui nouiès plenum dùm sol terit aureus orbem,
Asceṭes tacito conditus ore silet:

Dignùs is est, cuius taciturna silentia, nullo
  Garrula desistat tempore fama loqui.

XIV. MAII.

S. Bonifacivs *M. Ægla matrona turpiter adhæserat, mox facti pœnitens labem sanguine eluit.*

I.

Flebile naufragiũ blandis propè passus in vndis,
  Consilio ripam jàm meliore legis:
Quæque tui fuerat quondàm comes vna pericli,
  Infidis Ægle sospes abiuit aquis.
Mox tibi pollutum maculosâ labe pudorem
  Expiat impensus pro pietate cruor.
Sic comes indecorem sequitur vindicta reatum,
  Et redimit magnum par quoque pœna nefas.
Nam meritò, casti qui prodigus antè pudoris,
  Prodigus effusi sanguinis ille fuit.

XIV. MAII.

S. Pontivs *M. cuius mater grauida cùm fanum subiisset, dicta est à Flamine, Deorum hostem vtero gestare.*

I.

Nondùm natus eras, mater delubra subiuit,
  Quæ gremio infusum dulce ferebat onus:
Cùm subito Flamen furiis immanibus actus,
  Diripit ornatis laurea serta comis;
Exclamátque fremens hostem aduentare Deorum,
  Inque Iouis damnum viscera fœta canit.
Nec veri caruêre fide præsagia Vatis,
  Nam mouet in superos Pontius arma deos.
Cessent Anguipedum molimina vana Gigantum,
  Territat immensum si Puer iste Iouem.

XIV. MAII.

SS. VICTOR & CORONA MM.

I.

Quàm tua te genitrix apto cognomine donat!
Nomen enim ſolitus vincere, Victor, habes.
Tu quoque laurigeris Virgo decoranda coronis,
Non vacuum rebus nomen adepta geris.
Non poterant meliùs conſortia nomina jungi;
Nam bene Victori juncta Corona fuit.

XIV. MAII.

S. BONIFACIVS *Epiſc. Ferentinus iàm inde à puero in egenos munificus.*

I.

Nunc ſine palliolo, tenui modò nudus abollâ,
Formoſus repetit tecta paterna puer.
Dúmque parens rogitat, cur ſic nudatur amictu?
Riſit, &, hunc pauper pro ſtipe, dixit, habet.
Tàm benè qui fecit miſeris, benè fecit egenis,
Pulchrè implet numeros nominis ille ſui.

S. BONIFACIVS *Chriſtum in egenis veſtit.*

II.

Sæpè breui togulâ Codrum veſtiuit egentem,
Quam puer ex humeris traxerat antè ſuis.
Inueſtiſque palàm, gaudet velare puſillis
Veſtibus immenſum ſe potuiſſe Deum.

S. BONIFACIVS *adhuc puer vulpeculam gallinas ſubducentem reſtituere prædam cogit, mortique addicit.*

III.

Dùm pullos Gallina fouet, ſubit improba Vulpes,
Et matrem, & ſobolem matris iniquè clepit.
Furacem

Furacem puer insequitur, prædámque reposcit,
  Móxque reposcenti reddita præda fuit :
Nam remeat docilis, querulósq; ex ordine pullos,
  Cristatásque rapax bellua reddit aues.
Et dolet, & renuit tanto superesse dolori,
  Visa repentino funere sponte mori.
Iuris amans puer ille fuit, nam conscia furti,
  Digna necem Vulpes, quæ pateretur, erat.

S. Bonifacivs *iam Episcopus creatus Lupos ab ouili arcet.*

IV.

Quæ peragis, reliquæ sunt hæc præludia vitæ,
  Vírque geres quondàm, quod geris antè puer.
Nunc olidam insequeris generosus Pusio Vulpem,
  Certus in audaces grandior ire Lupos.
Qui seruas modò cortis aues, cùm creuerit ætas,
  Seruabis placidas tunc quoque Præsul oues.

XIV. MAII.

S. Pachomivs *Abbas per Nilum Crocodilo vehitur.*

I.

Dùm vehitur Pharias Crocodilo Mysta per vndas,
  Qui tergum audaci sessile sponte dedit :
I procul, & fragiles serua tibi, Nauita ! lembos,
  Hæc mihi pro lembo Bellua, dixit, erit.

XV. MAII.

S. Dympna *V. & M. à parente pudicitiam filia attentante occiditur.*

I.

BArbarus infando Natæ Rex captus amore,
  De patre degeneri factus amator erat.
At tu, Dympna, tui scelus execrata Parentis,
  Occidis à patriâ victima cæsa manu.

I

Fortior exertæ jugulum præbere macheræ,
Quàm Patris inceſtum tangere Nata torum,
Ille ſuos odio mutat furioſus amores,
Quámque ſceleſtus amans,tàm malus oſor erat:
Nam dextram capulo gladij verſatilis implet,
Detruncátque tuum, cædua Virgo, caput.
Tùm moriens viſa eſt duro dixiſſe Parenti,
Si tamen ille poteſt qui necat, eſſe parens.
Debebam, fateor,(quid enim memorare recuſem ?)
Legitimo quantum Regia virgo Patri.
Ceſſat id officij, tua cùm modò dona repoſcas,
Nam data quæ vita eſt, hanc mihi, dure, rapis.

Ad D. DYMPNAM *ſuo ſanguine aſperſam.*

II.

Pura pudicitiæ ſerues vt lilia, Virgo,
Tota verecundi ſanguinis imbre rubes,
Ritè tuos flores hoc vulneris imbre rigaſti:
Marcent, ſi nullo lilia rore madent.
Quódque magis mirere, magis tua lilia candent,
Quò magis hæc fluuio ſanguinis vda rubent.

Ad turpem Amorem infandum facinus
DYMPNAE *Patri ſuadentem.*

III.

Improbe Amor, cùm Patrem adeò furialiter vras,
Non oculis tantùm, ſed quoque fronte cares:
Nam niſi fronte, oculíſque ſimul, furioſe, careres,
Te duce non moueat talia monſtra Parens.
Quis credat potuiſſe vnquàm puerilibus annis
Crimina tantillus cudere tanta Puer?
Hei mihi! quid faceres, quæ non portenta parares,
Seu vir, ſiue ſenex, ſi facis iſta Puer?

S. DYMPNA *à Patre occisa à Cœlitibus tumulatur.*

IV.

Mortalem attactum refugit dùm functa Virago,
Funereum Superi composuêre torum.
Tangere quam nequiit turpi Puer aliger arcu,
Debuit hanc hominum tangere nulla manus.

XV. MAII.

S. MANNA *V. iam Christo deuota, sacróque Flammeo velata, ab alio Sponso expetitur.*

I.

Qui teneræ thalamos ambis, tædásque Puellæ,
Parce datam Christo sollicitare fidem.
Serus ades, jam Manna suos sacrauit amores,
Iam melior Sponsus, quod petis, alter habet.
Te puto Saturni festis venisse diebus;
Quo vetitum fuerat tempore Manna legi.

XVI. MAII.

S. DOMNOLVS *Cenomanorum Episc. pium Lectorem ad mensam adhibet.*

I.

DOmnolus appositæ carpēs data fercula mensæ,
Non terit argutis tempus inane jocis:
Sed pius allatas Lector qui condiat escas,
Perlegit è sacris eruta sensa libris.
Parua licèt modico foret vncta culina paratu,
Has tamen insipidas non reor esse dapes.

XVII. MAII.

S. TORPES *M. Neronis versatilem, æmulámque cælo machinam precibus ad Deum fusis destruit.*

I.

HIC vbi Cæsareas pandunt cœnacula mensas,
Dædaleus renouat monstra Sicana labor.
Námque Syracusiæ miracula vitrea dextræ
Extuderat mirâ dexteritate faber.
Machina stelliferis conuoluitur æmula cœlis,
Et peragunt solitas Lunáque Sólque vices.
At precibus Torpes fusis, dùm Numen adorat,
Cessit in antiquum fusilis æthra Chaos.
Iure quidem fragilis ruptâ compagine cœli,
Dissilit in partes fabrica tota suas.
Námque quid affectat superas Nero Iupiter arces,
Dignior in Stygiis qui dominetur aquis?

S. TORPES *capite diminutus, nauíque impositus in Hispaniam appulit, ibíque à Celerinâ Matrona sepelitur.*

II.

Iam tibi sustulerat valido caput ense satelles,
Et lacer in gelido littore truncus eras:
Iniecta exiguo pars corporis vtraque lembo,
Ludibrium rapidis traditur esse Notis.
Concessit meliora Deus, nam remige cœlo,
Tendit in Hesperiam salua phaselus humum.
I celeris Celerina! sacram prior arripe gazam,
Et pretium effosso nobile conde solo.
Plurima gemmiferis licèt isthùc tendat ab Indis,
Ditior hâc nunquam venerat antè ratis.

XVIII. MAII.

S. VENANTIVS *M. post superatam belluarum rabiem, igne pectori admoto aduritur.*

I.

VNguibus horribiles, rictúque, iubáque Leones,
Suppliciter pedibus procubuêre tuis.
Scilicèt humano feritas in pectore crescit,
Incipit à rabidis cùm procùl esse feris.
Admoto tibi pectus amans accenditur igne,
H'c meliore flagrat quamlibèt igne locus.
Has Amor admouit, quibus ardeat hostia, flammas;
(Nam pia sacrifici munia præstat Amor.)
Victima non poterat, neque sanctior ara parari,
Victima cor; pectus Martyris ara fuit.

XVIII. MAII.

S. ERICVS *M. Suecia Rex, cilicinâ veste corpus induitur.*

I.

Regales setoso humeros Ericus amictu
Macerat, & punctu perfodiente ferit:
Dúmq; nouus thorax, noua dùm cõstringitur ægis,
Purpura purpureo sanguine sparsa rubet.
Raiò inter clypeósq; Ducum, galeásque comantes,
Loricam aspiciunt sæcula nostra parem.

XIX. MAII.

S. PETRVS CELESTINVS *Summo se Pontificatu abdicans in eremum secedit.*

I.

PEtre, tuam triplici spolias diademate frontem,
Quo nihil in terris sanctius astra vident.
Insuper egregius vastam petis Exul eremum,
Et latebras, clari nominis osor, amas.

Nulla parem tulerant, retrò fugientibus annis,
Nec ventura ferent sæcula fortè parem.
Fama decus laudésque sile, quibus antè refulsit,
Hoc facto satis est hunc mihi nosse virum.

S. PETRVS CELESTINVS *suis latebris illustrior.*

II.

Abdicat, & rerum Præses moderamina ponit,
Nec minor est positâ, quàm fuit antè, togâ.
Sumpserat inuitus, qui sponte relinquit habenas,
Quódque alter nemo fecerat, ille facit.
Sed frustrà te, magne Senex, subducis honori,
Ille tui lateris te premet vsque comes.
More coruscantis virtus nitidissima Phœbi,
Clariùs hoc rutilat, quo magis illa latet.
Quamlibèt in lustris lateas, illustria reddent
Illustrem in latebris te tua lustra tuis.

XIX. MAII.

S. IVO *Pauperum Aduocatus.*

I.

Et nullo pretio, & nullâ mercede redemptus,
Mendici causas, Iuo, clientis agis.
Quod nunc Causidicis vix est imitabile nostris,
Lingua tibi diues dextera pauper erat.
Dùm tamen & leges, & ius, & jurgia vendunt,
Patroni immensas jure lucrantur opes.

S. IVO *gratìs patrocinatur Pauperibus.*

II.

Pauperibus nec verba dedit, nec vendidit Iuo,
Vox cuius miseris fauit inempta reis.
Causidicus dat verba [illegible], vendítque Clienti,
Si venale tamen, quòd datur, esse potest.

S. IVO *in Clientes egenos munificus.*

III.

Res noua! Patronus tenui dedit Iuo Clienti
Munera, Patrono quæ dabat ante Cliens.

S. IVO *sacris libris, quos interdiu legit, noctu indormit.*

IV.

Dogmata, quæ totis euoluerat ante diebus,
Nocte ferunt capiti suppofuisse suo.
Ceruical cùm tale sibi subiecerit Iuo,
Nemo neget sacris incubuisse libris.

XIX. MAII.

S DVNSTANVS C. *forcipe Cacodæmonis nasum corripit.*

I.

Ardenti informas calybem, Dunstane, camino,
Fabrilique tuus ludit in arte labor.
Follibus alternas & reddis, & accipis auras,
Stridulaque inſperſo diluis æra lacu.
Sic tibi quærenti spatiosos fallere soles,
Exercent dociles dura metalla manûs.
Dúmque operi Faber insistis, transformia Pluto
Induitur falsi callidus ora Senis.
Nec satis est variasse semel, sed subdola formas
Ex aliis alias Larua subinde nouat.
Dunstanus fraudem agnouit, cernítque rapacem
Pelle sub humanâ delituisse lupum.
Nec mora, mordaci correptum forcipe nasum
Prendit, & instanti comprimit vsque manu.
Certamen ioculare oritur, pugnatur vtrínque,
Et trahit hinc Proteus, & trahit inde Faber.

At tandem lepido satiatus pectora ludo,
  In sua Bubonem tartara rursùs agit.
Et tali insequitur fugientem scommate Laruam,
  I fuge, at emunctæ postmodò naris eris.

XX. MAII.

S. BERNARDINVS SENENSIS, *adhuc puer, verba turpia alapâ in sene castigat.*

I.

FEscennina iocis nebulo dicteria miscet;
  Audiat inuito quæ tener ore pudor.
Bernardine, aderas, buccæque impacta salaci,
  Est tua dextra olidum fortiter vlta nefas.
Erubuit non sponte scelus, pueróque magistro
  Grandior edidicit verba modesta Senex.
Non tantùm Iouis è cerebro sapientia prodit,
  Sæpè sub infantis vertice tecta latet.

S. BERNARDINI *corpus incorruptum adhuc Aquilæ seruatur.*

II.

Quem nullus spirantem alias Venus ignibus vssit,
  Nullus in exanimi debuit esse cinis.

XXI. MAII.

S. HOSPITIVS C. *adhuc viuus à vermibus depascitur, à quibus mortuus eximitur.*

I.

HOspitij laceros tabo stillante per artûs,
  Serpebat punctu perpete vermis edax.
His tamen hospitibus dulces non inuidet escas,
  Et sibi conuiuas hos negat esse graues.

At ſimul exanimi mens libera corpore ceſſit,
Ceſſit ab exanimi corpore turba vorax:
Hîc rerum nouus ordo fuit, nam rodere vermis,
Non niſi poſtquàm animus corpore ceſſit, amat:
Scilicèt hæ tineæ, plenos quàm clauderet annos,
Ante receſſuræ, nî vetuiſſet, erant.
Sed poſtquàm prohibere nequit, procùl omnis ab-
Cedere feſtinat libera turba morâ. (actâ
At tu vermem inhibe, qui pectore fixus in imo
Mordet, & æterno non valet igne mori.

XXII. MAII.

S. Basiliscvs *M. aridæ arbori, ſub quâ recubuerat, vitam frondéſque reddit.*

I.

LAſſulus arenti, Baſiliſce, ſub arbore ſidis,
Quæ ſubitò natis frondet amicta comis.
Vndè vireſcenti vis hæc fuit indita plantæ?
Nè deeſſet capiti danda corona tuo.

Fonticulus ad D. Basilisci *pedes ſcaturit.*

II.

Iam Pugil imbuerat rubefactam ſanguine terram,
Cùm videt ante ſuos ire fluenta pedes.
Muneris immemorem ne quis putet eſſe, cruori
Grata repentinam gleba profudit aquam.
Vel potiùs, Baſiliſce, tuos vbi vidit agones,
Te lacrymis fleuit terra miſerta ſuis.

XXIII. MAII.

S. Gvibertvs *C. à Martis militiâ, ad Chriſtum feliciter deficit.*

I.

QVi priùs armatos ierat Guibertus in hoſtes,
Nunc melior Chriſti prælia miles agit.

Antè rudimentum posuit sub Marte profano;
Militiæ sacræ ne foret ille rudis.

XXIII. MAII.

S. DESIDERIVS *Viennensis in Galliâ Episc: iussu Theodorici Regis, Brunechilde impellente occiditur.*

I.

Rex Desiderium terris truculentus ademit,
Fœmineis passum tristia quæque dolis:
At Desiderij nullus, mihi credite, nullus
Qui desiderium tollere possit, erit.

XXIV. MAII.

S. VINCENTIVS *M. in flammis illæsus.*

I.

VIncenti, cui jure dedit victoria nomen,
Quam toties domito victor ab hoste refers:
Aggerit ille quidem flammas, ille aggerat iras,
Vt super ex auido sis merus igne cinis.
At Zephyrus placidis te lenis obambulat alis,
Nilque oblita sui flamma caloris habet.
Vsque adeò indomiti furor ardet, & ira Tyranni,
Vt minùs in mediis arseris ipse rogis.

XXIV. MAII.

S. SIMEON STYLITES *Iunior columnæ insistens.*

I.

Humanarum apices super, & fastigia rerum,
Despicit exiguam nubilus hospes humum.
Brachiáque expandens vltricibus obuia flammis,
Irato opponit séque precésque Deo.

Dúmq; altam numerosa premit per lustra columnā,
Et videt admoto proximus astra polo:
Sustentans humeris ruiturum Atlantibus orbem,
Ipse etiam Simeon viua columna fuit.

XXV. MAII.

S. VRBANVS PONTIFEX MAXIMVS *Seueri Imperatoris iussu occiditur.*

I.

NOn equidē miror, quem sanctior orbis adorat,
Si mandante sacer Cæsare Pastor obit.
Non bene conueniunt Pastor cum Cæsare, Pastor
Vrbanus, Cæsar verò Seuerus erat.

XXV. MAII.

S. ZENOBIVS FLORENTINVS *Episc. singulari modestiâ insignis.*

I.

Tessera virginei custósque modestia floris,
Zenobij roseas excubat ante genas.
Nîl oculis fœdum, fœdum nihil auribus haurit,
Nè tepeat minimâ mens violata face.
Et valuas oculis, & valuas auribus obdit,
Aure, oculóque sibi námque venena solent.
Tu quoque, cura tui quem tangit honesta pudoris,
Aures, atque oculos obstrue, castus eris.
Iure oculos, animi quis dixerit esse fenestras,
Iure aures, animi dixerit esse fores.
Turpia nè cernas spectacula, claude fenestras,
Nè verba auscultes turpia, claude fores.

XXV. MAII.

S. MVTIVS C. *cui singulis diebus Dominicis Angeli victum procurant.*

I.

Non tantùm Isaciis Superi conuiuia mensis,
Sed tibi lauta etiam fercula, Diue, parant.

Nam quotiès lucem terris octona reuexit,
Solis ab insigni nomine dicta dies;
Textilibus totiès cerealia dona canistris,
Fert tibi cœlesti turba ministra manu.
Impransus reliquas cernis transcurrere noctes,
Impransus reliquos cernis abire dies.
Nam viles terrarum epulas, & fercula temnit,
Cui Superûm sapidas contigit esse dapes.

XXVI. MAII.

S. ELEVTHERIVS *Pontifex Maximus sub Commodo Imperatore necatur.*

I.

Rector inoffenso moderatur carbasa cursu,
Et clauum dominâ torquet agítque, manu.
Nominis auspicium contra, te præside, Cæsar!
Pertulit indignam saucius ense necem.
Cùm caput immensi tollas incommodus orbis,
Quàm male conueniens, Cõmode! nomen habes.

XXVI. MAII.

S. LAMBERTVS *Vencia in Prouinciâ Episc. gelidam bis in vinum vertit.*

I.

Fontanam Pincerna tuus tibi poscitur vndam,
Pocula fontanæ dat tibi promptus aquæ.
At simul accessit labris sitientibus humor,
Expertus sapidum detegis esse merum.
Tu puerum verbo increpitas, quòd, vt antè solebat,
Sinceram oblitus non tibi tradat aquam.
Ille recèns haustam rursùm tibi detulit vndam,
Sed velut antè, nouum fit noua lympha merùm.
Purpureo Thetidem Christus mutauit Iaccho,
Bis tamen id præstas, Diue, quod ille semel.

Ad D. LAMBERTVM *aquam in vinum vertentem.*

II.

Lympha ſemel, rurſúmque tuis admota labellis,
Vertitur in ſubitum viſa rubere merum.
Parce ſitire alias, Lamberte, abſtemius vndas,
Quicquid agas, votis non potiere tuis.
Námque meraca tibi quoties potabitur vnda,
Fiet in inuito Maſſicus ore liquor.

XXVI. MAII.

S. PHILIPPVS NERIO *C. cuius cor diuino amore exæſtuans duas coſtas perfregit.*

I.

Dùm cor flammiuomum ſpatiis arctatur iniquis,
Vt ſolet anguſto fornice flamma premi,
Coſtarum effregit contexta repagula victor,
Carceris impatiens imperioſus Amor.
More Ducum medios quos gloria raptat in hoſtes,
Vel reperit, vetitam vel facit ille viam.

S. PHILIPPVS *in Cæmeterio Callixti Romæ ſæpè pernoctat.*

II.

Sæpe vigil perago ſomni ſine munere noctes,
Aſſiduus reliquos hic vbi ſomnus habet:
Dúmque inter tacitas nemo venit arbiter vmbras,
Me turba ereptæ vocis egena docet.
Quid tamen à mutis diſcam, ſi fortè, magiſtris,
Scire velis; Diſco viuere, Diſco mori.
Vt mihi mors felix contingat, viuere diſco;
Vt felix poſſim viuere, diſco mori.

S. PHILIPPVS *Manes inter, & Defunctorum cineres sæpè versatur.*

III.

Vmbrarum eſt, cinerúmque locus, mortiſq; ſoporæ,
Hîc vbi perpetuus penè Philippus agit.
Ignis amat cineres, calido ſub corde latentem
Quem fouet, extingui non ſinet ille cinis.

XXVII. MAII.

S. IOANNES *Pontifex Maximus M. quem inſederat equum, alios deinceps excuſſit.*

I.

PRæſide terrarum ſonipes ſeſſore ſuperbit,
Nec ſua vult alio pondere terga premi.
Bucephalo inſedit quondàm cognomine Magnus;
Eſt iſto ſeſſor Maximus vſus equo.
Bucephalo vt ſonipes longè fuit impare maior,
Maior Alexandro ſic quoque ſeſſor erat.

Commodatus D. IOANNI *à piâ Matronâ equus, ipſi heræ eſt redditus refractarius.*

II.

Calcitro cur ſonipes, Dominum qui geſſerat orbis,
Subdere legitimæ terga recuſat heræ?
Maieſtate graui, & tanto ſub pondere preſſus
Matronam excuſſit calcibus ille leuem.

XXVII. MAII.

S. RESTITVTA *V. & M. dùm Româ pergit Soram, via comitem habet Angelum.*

I.

Ædibus excedens patriis Romana Puella,
Inſtituit monitu Numinis ire Soram.

Virginis æthereus stipat latus Ales euntis,
Et pariter gratas jungit vtérque moras.
Progreditur captâ alloquij dulcedine Virgo,
Tædiaque inceptæ non tulit vlla viæ.
Dúmque moras, & crebra volens diuortia quærit,
Longius optasset, quàm fuit, esset iter:
Inque vicem sociæ captus sermone puellæ,
Ales ab hâc nunquàm vellet abesse viâ.
Nempè frui alloquio (nam sunt cognatus vterque)
Aligeri Virgo, Virginis Ales amat.

XXVIII. MAII.

S. GERMANVS *Parisiensis Episc. quem mater in vtero adhuc latentem epoto pharmaco tollere parat.*

I.

EDiderat nondùm sobolem, lethale venenum,
Quod puer ebiberet, præbibit ipsa parens.
Scilicèt illa priùs, furialibus excita monstris,
Quàm fieret genitrix, penè nouerca fuit.
Restitit at viuax infans, & tectus ab ipsâ,
Aduersus matris vulnera, matre fuit.
Si data nõ tàm sunt, quàm mens pensanda datoris,
Vitam etsi dederit, non dedit illa parens.

De matre D. GERMANI *sibi abortum procurante.*

II.

Facta marita suum visa est quæ perdere florem,
Quærebat fructum perdere facta parens.

Vincula quibus alligatur D. GERMANVS *ad eius pedes corruunt.*

III.

Iussa catena tuos religare tenaciter artûs,
Accidit ad sacros sponte soluta pedes.

Ausa foret propiore manum quòd stringere nodo,
Admissi veniam criminis illa rogat.
Debuit hostilis rabies mollescere, cùm sit
Mollior attactu facta catena tuo.

S. GERMANVS *exiguo filo è suâ veste detracto morbos curat.*

IV.

Lanificæ properant dudùm sua fila Sorores,
Depleuítque grauem jam prope dextra colum,
Tu pensa exiguo renouas fatalia filo,
Vestibus extractum quod fuit antè tuis.
Quæque priùs turres Regum, Regésque subegit,
Mors victa, & filo simplice vincta fuit.

XXIX. MAII.

S. SISINIVS *M. capiti illisâ à Præcone aneâ tubâ, fortiter occubuit.*

I.

NE forte ignotâ iaceas inhonorus in vrnâ,
Dignus ab æternâ posteritate legi:
Quâ cadis obtritus, totum tua facta per orbem
Vt canat, hanc inflet fama sonora tubam.
Instrumenta tuæ laudis, clarissime Martyr,
Instrumenta tuæ sunt quoque facta necis.

XXIX. MAII.

S. ANDREAS DE CHIO *castitatem suam magnæ Virgini consecrat.*

I.

Virginibus mos est flores adamare puellis,
Quos facili tellus parturit alma sinu.
Tu quoque, Virgineæ Regina pudica cohortis,
Crederis oblati floris amore capi.

At reliquos inter tamen, ô pulcherrima, flores,
Virginei florem, Virgo, pudoris amas.
Hunc tibi ſacrauit Iuuenis, nam ritè ſciebat,
Sertum oculis nullum gratius eſſe tuis.

S. ANDREAS *Virginitatis ſeruandæ propoſitum palàm candidâ veſte teſtatur.*

II.

Vellere veſtitus niueo procedis, vt Agnus,
Lacteolum peperit quem modò mater ouis.
Cauſa ſubeſt facti, purâ profiteris abollâ,
Intactas animi virginis eſſe niues.
Vtque leui ſine labe nitet puriſſima veſtis,
Sic tibi virgineum, Diue, niteſcit ebur,

XXX. MAII.

S. FELIX M. PONTIFEX MAXIMVS *feliciter orbi Chriſtiano præficitur.*

I.

ET claui, & clauis geminata inſignia præfers,
Nã decus hoc geminas clarat vtrũq; manus.
Claue polum reſeras, reſerataque limina claudis;
At clauo nauem, quam Petrus antè, regis.
Non poterit non Cymba vehi felicibus vndis;
Felix Felici Præſide curſus erit.

XXX. MAII.

S. ISACIVS C. *dùm Valentem Imperatorem ab inferendo Chriſtianis bello auocat, eius iuſſu in vepretum abripitur.*

I.

Intrepido Iſacius vultu ſtetit ante tribunal,
Et Regem audaci voce locutus adit.

Quid tenerum Christi exagitas, Prædator, ouile?
 Quid furis, attonitas vt lupus inter oues?
Ille furens animi monitísque salubribus asper,
 Narrantis medios eripit ore sonos:
Et fortem Athletam dignum meliore cubili
 Raptari in rigidos iussit, agísque rubos.
Veriùs erubuit, quàm cùm rubuisse rubetum,
 Idaliæ finxit fama cruore Deæ.
At quando Isacium vepreta tulêre cadentem,
 Nunquàm aliàs, vel tunc illa tulere rosas.

XXXI. MAII.

SSS. CANTIVS, CANTIANVS, CANTIANILLA FF. MM.

I.

SVnt gemini fratres, soror illis vnica, claram
 Pro Christo vnanimes qui subière necem.
Quos ligat infusus sanguis, sanguísque profusus,
 Hos consanguineos nemo fuisse neget.

XXXI. MAII.

S. IACOBVS VENETVS *mira fuit in adolescentiâ modestia.*

I.

Nobilium exemplar, sed vix imitabile, morum,
 Caste puer, Veneti dulcis alumne soli:
Fronte tibi mediâ, blandíque satellitis instar,
 Virgineus pulchras stat pudor ante genas.
Ille agat excubias dùm primo in limine custos,
 Nemo animi gazas, qui populetur, erit.

S. IACOBVS *dùm solemne Officium, mediâ Hyeme in horto recitat, rosam carpit.*

II.

Risit, & è medio se flosculus exerit horto,
 More sacras solito te recitante Preces.

Munus erat rarum, mediæ nam frigore brumæ,
Et nemus ereptas flebat, & hortus opes.
Diue, tibi glaciem, (jubeas modò) proferet æſtas,
Frigida cùm faciles det tibi bruma roſas.

Ad D. IACOBVM *roſam hyeme carpentem.*

III.

Quanquàm bruma riget, medio ſpatiatus in horto,
Carpis odoriferam, præmia verna, roſam.
Quos tibi, Diue, ferent Autumni tempora fructus,
Si ſterilis flores iam tibi fundit hyems?

Ad eundem Preces horarias recitantem & roſam hyeme carpentem.

IV.

Flos manibus, liber ore tibi, Iacobe, leguntur,
Dùm ſolitas reddis, penſa diurna, Preces.

Aliud.

V.

Diue, ſtatas hyemante Preces dùm tempore ſoluis,
Et librum & flores ore, manúque legis.



MENSIS IVNIVS.

PRIMA IVNII.

S. SIMEON C. *in quem Hydras & Serpentes frustrà Erebus excitat.*

I.

Illusus tibi, Diue, dolos struit Orcus inanes,
Monstrorum è barathro dùm genus omne ciet.
Altera si stygiis caput exerat Hydra lacunis,
Alcides, Hydram qui domet, alter eris.

S. SIMEON *etiam post mortem sudat.*

II.

Post varios, quà terra patet, quáque vnda labores,
Tranquillâ Simeon morte potitus obit.
Mens licèt è vacuis fecesserit artubus hospes,
Mirus ab exanimi corpore sudor ijt.
Ardua difficilem via pandit in æthera cliuum,
Sudat in hâc cursor strenuus eccè viâ.

II. IVNII.

S. PETRVS M. *vincula quibus detinebatur, abrupit, ita imperante per iocum Tyranno.*

I.

Carceris incluso tenebris, tibi, Diue, ligantur
Dùm manicísq; manus, compedibúsq; pedes:

Insultat sic lingua procax, I, frange catenas,
Si potes, & fidei da rata signa tuæ:
Tu veluti fragiles, quas neuit aranea, telas,
Herculeâ laceras ferrea vincla manu.
Obstupuit validi robur mirata lacerti,
Spectatrix, istis vocibus vsa, cohors:
Cur hæc inuideat priscis Heroibus ætas?
Sæcula Samsonem nostra tulere suum.

Ad D. PETRVM *in suppliciis inuictum.*

II.

Nil agit impietas, Christo inter vincula quisquis
Seruit, & ipsa inter vincula liber erit.
Tu locuples, Petre, testis eris, cui vincula torquis,
Lux tenebræ; carcer Regia, pœna decus.

II. IVNII.

SS. MARCELLINVS & PETRVS *MM. capite plexi & vepreto abditi à Lucillâ & Firmina sepeliuntur.*

I.

Iàm capite orbarat Pugilum par nobile lictor,
Vt solet ex ipso caudice Calthameti;
Abduntur laceri latebrosis sentibus artûs,
Nè qua forer cineri gloria, nè quis honos.
Non latuere suas inter, duo lilia, spinas,
Nam color & flores prodit amœnus odor.
Hos legêre piæ, gens obsequiosa, puellæ,
Et loculo pariles composuêre suo.
Hæc meritò à geminis sunt lilia lecta puellis,
Debuit hos flores carpere casta manus.

Sylua, in qua occisi sunt SS. MM. pro Nigra Candida dicta est.

II.

Quæ laceros Heroum olim celauerat artûs,
Mutato melius nomine nomen habet.
Audierat Nigra-Sylua priùs,(procùl omen abesto,)
Nomine jam dignum est candidiore nemus.
Sic erit, & quamuìs te frondibus arbor inumbret,
Sylua tibi posthàc Candida nomen erit.

II. IVNII.

S. ERASMVS *Episc. & M. feruenti oleo perfunditur.*

I.

Solenni de more sacrum te tinxit oliuum:
Sacrandi augurium Præsulis illud erat.
At cùm perfudit totum te feruida Pallas,
Strenuus hoc oleo cerneris esse Pugil.
Palladio sic rore pios bis tingeris artûs,
At fuit iste oneris, primus honoris erat.

II. IVNII.

S. BLANDINA *Ancilla, V. & M. inter feras illæsa.*

I.

Blanditur, Blandina, tibi blandissima Tigris,
In te carnificum dùm fera turba furit.
Blandiri fuit antè hominum, urere antè ferarum;
Bellua nunc blanda est, nunc furiosus homo,
Mutarunt & homo mores & bellua, námque hæc
Moribus humanis vtitur, ille feris.

S. BLANDINA *capite orbata Martyrij decus adipiscitur.*

II.

Nulla priùs Virgo capitis tulit orba coronam,
Tu tamen hanc, capitis quòd cadis orba, feres

III. IVNII.

SS. PERGENTINVS & LAVRENTIVS *Fratres MM. post tridui inediam ab Angelis reficiuntur.*

I.

IAm tres transierant Cereris sine munere soles,
Iámque aderat vobis quarta timenda dies.
Non daret assuetam cùm mensa parabilis escam,
Apposuêre suas sidera prompta dapes.
Non corui obsequio, non ancillante columbâ,
Cessit abacta sitis, cessit abacta fames:
Sed quibus in sterili fuit olim pastus eremo,
Panificos Christus iussit adesse suos.
Magnus ab Alitibus honor est, quos educat aër,
Maior ab his pasci quos fouet ipse polus.

SS. PERGENTINVS, & LAVRENTIVS *saxeam Iouis statuam in modum ceræ liquescere coëgerunt.*

II.

Carceris è caueâ trahitur par nobile Fratrum,
Vt colat incestos, frigida saxa, deos:
At statuæ, ceu cera fluunt, quæ liquitur igni,
Cùm primùm accensas fudit vtérque preces.
Tu quoque supplicibus, quicúnq; es, fundere votis,
Et Bacchi, & Veneris numina bruta potes.
Quòd simulacra suo si stent, velut antè, rigore,
Non satis ardentes fundis ab ore preces.

III. IVNII.

S. CLOTILDIS *Francorum Regina Clodoueum Coniugem ſuo hortatu ab hæreſi expedit.*

I.

Primæuæ Clotildis erat contraria Nuptæ
  Liberat iſta virum fraude, ſed Eua capit.
Hei mihi! gens hominum quàm fortunata fuiſſet,
  Si ſimilem ſponſam nactus, Adame, fores.

IV. IVNII.

S. QVIRINVS *Siſciæ in Illirico Epiſc. & M. molari ſaxo ad collum ſuſpenſo, in flumen iactus, lapide ſupernatante, precibus à Deo obtinuit, vt mergeretur.*

I.

NOn gladius, nō flāma vorax, nō haſta Quirinū,
  Nec fera carnifici dente cruenta necat.
Pontis ab excelſo præceps detruditur arcu,
  Sub rapidis vitam perdere iuſſus aquis.
Nè reſtet ſpes vlla fugæ, mola ſaxea collo
  Penſilis, inuictum Martyra mole grauat.
Labentem excepit gremio placidiſſimus amnis,
  Inque altas tollit, ne premeretur, aquas.
Exclamans nouitate rei ſtupet inſcia plebes,
  Subere dum leuior ſtat ſuper amne ſilex.
Námque ſuper liquidas natat immerſabilis vndas,
  Nec vada depreſſum raptat in alta Senem.
Pendula natiuo fluitat ſine pondere moles;
  Soluit in hos Præſul dùm pius ora ſonos:
Vndarum terræque Deus, quid amabile perdo
  Naufragium, è mediis ſoſpes iturus aquis?

Siccine

Siccine portanti ſtat in amne natatile ſaxum?
Hæc animo leuitas eſt onoroſa meo.
Da precor in penitas deſcendā vt naufragus vndas;
Sic ait, & facilem vox habet illa Deum.
Nam mola pondus habet, leuitáſque precaria ceſſit,
Fluminéque immerſus fertur in ima lapis:
Ipſe quoque immerſi comitatus pondera ſaxi,
Interiora Senex gurgitis antra petit.
Mens tamen in varias abeunt & corpora partes,
Mens leuis alta ſubit ſydera, corpus aquas.

Mola ad S. QVIRINI *collum illigata.*

II.

Ponderis ingentis ſcopulus ſuſpenditur ingens,
Ceruicémque onerat mole, Quirine, tuam.
Ignorat quo dignus eras geſtamine Lictor;
Altera erat collo debita bulla tuo.
Vix res eſt habitura fidem, jàm naufragus eſſes,
Nî ſaxum in mediis te graue preſſet aquis.

IV. IVNII.

S. GVALTERIVS C. *humerum ſtellâ inſignitus naſcitur.*

I.

Inſignem natiuo humerum qui ſydere præfers,
Aut polus, aut rutilo par eris ipſe polo.

S. GVALTERIVS *virtutum ſplendore conſpicuus.*

II.

Gualteri, licèt irradies, latéque propages
Virtutum rutilas in latus omne faces;
Non ego fulgorem vitæ, non fulgura miror,
Quid, niſi ſtellatus ſplendeat, iſta, puer?

S. GVALTERIVS *cum Atlante collatus.*

III.

Atlanti te, Diue, parem iure esse fatemur,
Scilicèt astra poli tu geris, ille polum.

S. GVALTERIVS *eximiam castitatem pari pulchritudine coniungit.*

IV.

Te Charites finxere manu, dulcésque leporum
Illecebras oculis inseruêre tuis.
Forma tibi nullo fallaciter illita fuco,
Candida purpureo mista rubore nitet.
Non aliam speciem virgo sibi nubilis optet,
Non aliam sponsæ sponsus inesse suæ.
Te generum matres, sponsum optauêre puellæ,
Sed neque vis sponsus, Diue, nec esse gener.
Atque ita mansuræ pepigerunt fœdera pacis,
(Quod rarum est) vno forma pudórque loco.
Námque licèt toto tibi rideat ore venustas,
Nulla tamen toto ridet in ore Venus.

V. IVNII.

S. BONIFACIVS *Episc. Moguntinus, & M. auium ministerio pascitur.*

Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea. Matth. 6.

I.

VEscarum te dura premit penuria rerum,
Nec tibi vel modicas dat penus vlla dapes.
Tu tamen alitibus facilem præbentibus escam,
Gratuito recreas languida membra cibo.
Si qua fides Christi alloquio, sibi nulla volucris
Farra serit, volucris jugera nulla metit:

At ſerere, & meſſem tibi condere credo volucres,
Quæ tibi tàm lautas, Diue, tulêre dapes.

VI. IVNII.

S. NORBERTVS *Magdeburgenſis Epiſc. & Præmonſtratenſis Ordinis Fundator candidâ veſte induitur.*

I.

INduitur Venetum, Praſinum-vè auriga colorem,
Purpura velandis Regibus apta venit:
Coccina militibus, námque eſt color ille cruoris,
Conuenit, hâc decuit vulnera veſte tegi:
Sordida lana reis, mœſtis nigra, cærula Nautis
Commoda, victores gemmea palla decet.
Conuenêre tibi niuei, Norberte, colores,
Innocuam decuit candida veſtis ouem.

S. NORBERTVS *Araneam in ſacrum Calicem inter ſacrificandum illapſam ſine noxâ ebibit.*

II.

Furtiuè in ſacrum Calicem reptarat Arachne,
Dùm, Norberte, tuas accipit ara preces.
Tu pia ſolenni peragens myſteria ritu,
Tuta venenato proluis ora ſcypho.
Nîl tamen hauſta tibi nocuêre venena: quis vno
Et vitam pariter potet, & ore necem?

Ad D. NORBERTVM.

III.

Nè quid araneolus noceat, nîl, Diue, timendum,
Tanto animo nunquàm tantulus hoſtis obeſt.

VII. IVNII.

S. MARCELLINVS *Velaunorum Episc. mortuum è sepulchro ad vitam reuocat.*

I.

SÆpè salutiferis morborum examina succis
  Diffugiunt, validâ pulsa medentis ope.
At qui vitam iterùm possit reuocare fugacem,
  Cùm semel excessit corpore, rarus erit.
Tu tamen id peragis, nam jussum exire sub auras,
  Exit ab effossâ putre cadauer humo.
Surda priùs, nullásque hominũ auscultare querelas,
  Mors ab inexpertâ credita plebe fuit.
Marcelline, tuis cùm pareat impigra jussis,
  Hanc modò quis surdis auribus esse putet?

VIII. IVNII.

S. VICTORINVS *C. cum fratre Seuerino in solitudinem secedens, ibique à Dæmone illusus, triennali supplicio scelus luit.*

I.

HVmanæ frater fugiens commercia vitæ,
  Cessit in vmbrosum fratre sequente nemus.
Non tamen hoc tegitur, fraudum securus, asylo;
  Nam patuit stygiis artibus ille locus.
Ergo nouæ indutus Phlegeton simulamina laruæ,
  Callida pellacis virginis ora subit.
Tùm tenui arrepens cellæ, sub nocte silenti;
  Pande tuæ, repetit, limina pande casæ.
Et solus latè locus est, & plena ferarum,
  Quæ me auidis lanient dentibus, antra fremunt.
Nescius ille doli, tactúsque dolore puellæ,
  Incautâ reserat stridula claustra manu.

Hoſpita vix fallax ſubiit, cùm credulus hoſpes
Serpere laſciuas ſenſit in oſſa faces.
At ſpectro illuſus, laruæque fugacibus vmbris,
Tartareos nouit ſerò ſubeſſe dolos.
Mox graue ſupplicium pendens pro crimine, binas
Indidit in robur fiſſile ſponte manus.
Sic miſſâ in cippum, totam trieterida, dextrâ,
Fit benè captiuus, qui malè captus erat.
Cur ſoluit iàm nemo pares poſt crimina pœnas?
Non reus, at, pœnam qui patiatur, abeſt.
Vix vnam Aſcetes peccat malè proditus horam,
Suppliciúmque breuis culpa trienne trahit:
At nos continuis ſontes delinquimus horis,
Vna tamen noſtrum vix luit hora ſcelus.

VIII. IVNII.

S. MEDARDVS *Epiſc. Nouiomenſis, adhùc puer à pluuiæ iniuriis, alis Aquilæ defenditur.*

I.

Dùm gregibus puer inuigilat, iuſſúque parentis
Commiſſos ſolito more recenſet equos:
Ecce tibi, horrifico nigreſcit in aëre nubes,
Et madidus largo Iuppiter imbre pluit.
Aduolat, & geminæ pandens propetaſmata pennæ,
Regia deciduas depulit Ales aquas.
Intereà tu ſiccus ouas, nec ab imbre madeſcis,
Impluuium merſo dùm natat omne ſolo.
Alituum Regina priùs famulata Tonanti,
Redditur imperiis obſequioſa tuis.
Hæc tibi deuota eſt, aliam ſibi poſtmodò quærat
Iuppiter, obſequium quæ ſibi præſtet, auem.

IX. IVNII.

SS. PRIMVS & FELICIANVS *Fratres MM. Herculem venerari iussi, fortiter resistunt.*

I.

HErculis insani statuam, turpémque colossum,
Magnanimâ sternit Martyr vtérque manu.
Garrula jam reliquis hunc fama laboribus addat,
Herculis est decimus-tertius iste labor.

SS. PRIMVS & FELICIANVS *Herculis simulacrum spernunt.*

II.

Monstrorum domitor mõstra inter cœptus haberi,
Bis geminus Numen dùm negat esse Pugil:
Hunc superat, non arma ferox, sed sæua ferendo
Vulnera, magnanimis perpetienda viris.
Nimirùm imparibus Tyrinthius vnus in armis,
Bis geminos contra non valet ire Duces.

Gemini fratres post mortem à feris illæsi.

III.

Reddiderat fratres eadem natalis origo,
Mors tamen vna magis reddit & vna Fides.
Corpora cæsa feris projecta voracibus, escam
Nec refugæ volucres, nec tetigêre canes.
Virtutem reuerenter habe, jàm doctus ab ipsis
Quisquis honoratam conspicis esse feris.

IX. IVNII.

S. VINCENTIVS *M. suo nomine dignus Athleta.*

I.

Vincenti, cui pulchra dedit victoria nomen,
Cui tegit augustum Laurus honesta caput:

Eia age, Diue, tui me nominis omine signa;
Sic ego, sic placidis vocibus ille refert.
Tu mea, tu pariter certes certamina victor,
Par tibi si palma est, par quoque nomen erit.

IX. IVNII.

S. SILVESTER C. *munitâ vrticis manu impurum Amorem fugat.*

I.

Crebra in te volucer jaciebat tela Cupido,
Tu rapis vltrici, Diue, flagella manu.
At nudatus Amor tergo intentata pauescens
Verbera, festinæ dat sua terga fugæ.
Vt puer est, & nudus Amor, scelerúmque minister,
Quid mirum est, visis si fugit ille flagris?

X. IVNII.

S. MARGARETA *Scotorum Regina in egenos regiè munifica.*

I.

PAuperibus licèt ampla frequens patrimonia do-
Inq; inopes Princeps fœmina fūdat opes: (net,
Nil tamen est, cur fœda situ metuatur egestas,
Nulla licèt vacuo sint super æra sinu.
Gemmiferi pretiosa manet si nominis hæres
Margaris, hoc vno nomine diues erit.

Ad D. MARGARETAM *in pauperes piè prodigam.*

II.

Mendico, Regina, stipem largire popello,
Ille tuas nunquàm deteret vsus opes.
Semina non pereunt, quamuìs periisse putentur,
Sed segetes apto tempore reddit ager.

Deperit in reliquos quicquid dependitur vsûs,
At quæ pauperibus dantur, habentur opes.

XI. IVNII.

S. BARNABAS *Apostolus à Iudæis in insulâ Cypro saxis obruitur.*

I.

Cyprida dùm totâ tentas proſcribere Cypro,
Et ſpurcæ evertis templa, vel antra Lupæ:
Miſſilium iactu lapidum te ſaxeus imber,
Quem mala Verporum proiicit ira, ferit.
Dignus eras fatis longè melioribus vti,
Dignus eras tumulo commodiore tegi.
Nè tamen ignotâ iaceas inhonorus arenâ,
Sub lapidum ingenti mole ſepultus eris.
Quàm bene Deucalion! lapides benè iecit Apella!
Ille homines ſaxis procreat, iſta necat.

XII. IVNII.

SS. BASILIDES & SOCII MM. *in obſcuro carcere illuſtres, & in vinculis liberi.*

I.

Inclyta Chriſtiadum, bellóque exercita pubes,
Delitet obſcuro carcere iuſſa premi.
Cauſa Fides; ſed flamma polo defluxit, & almum
Protinùs exhibuit lux radioſa iubar.
Fortunata cohors, veſtríſque illuſtrior vmbris!
Nam micat in mediâ nocte coruſca dies.
Quamlibèt impoſitis onerentur membra catenis;
Vos ego captiuos non tamen eſſe reor,
Cuius in immenſum mens libera tendit olympum,
Ille vel inuito carcere liber erit.

S. BASILIDES *ſcorpionibus ferreis cruciatur, & poſt necem feris obijcitur, à cuius tactu abſtinent.*

II.

Ferreus innocuos laniat tibi ſcorpius artûs,
Dùm ſuperas noſtro clarus in orbe Pugil:
At poſtquàm exceſſit mens libera corporis hoſpes,
Quod ſupereſt, ſæuis id datur eſca feris.
Agreſtûm longè abſcedens fera turba ferarum,
Prorsùs ab appoſitis abſtinuêre cibis.
Bellua non tetigit, quem mendax ſcorpio læſit,
Mitior eſt fictis ſic fera vera feris,

XII. IVNII.

S. ONVPHRIVS *Eremita cuius funus Angeli ſuauiſſimo cantu proſequuntur.*

I.

Quis nouus in ſyluis reſonat vocalis Arion?
Dura quis inſolitus recreat antra canor?
Hoſpes in odêum ſpecus àdmirabile ceſſit,
Ceſſit in Aonium tetrica ſylua iugum.
Attoniti nouitate rei, rugire leones,
Attoniti ceſſant exululare lupi.
Ipſa ſuis taciturna cauis obmutuit Echo,
Séque negat doctis vocibus eſſe parem.
Fallor, an vt caneret tibi funebre carmen, Onuphri,
Muſica ſydereo fluxit ab orbe cohors?
Vt ſibi ſuccedunt comites dolor atque voluptas,
Aſpera vita fuit, mors tibi dulcis erit.
At vos, quæ nuper, Senior dum viueret hoſpes,
Mulſiſtis ſolitâ garrulitate nemus:
Frondibus in tacitis mutæ reticete volucres,
Vincitur à cantu cælite veſtra cohors.

XIII. IVNII.

S. ANTONIVS PATAVINVS C. *obiectâ diuinâ dape Iumento famelico, quam supplex veneratur, Hæreticum peruicit.*

I.

POlline sub sacro Numen latitare verendum,
 Audaci Capito perfidus ore negat.
Mysta pius fidente manu venerabile crustum
 Spectandum, populo conspiciente, dedit.
Compositò quadrupes clitellis nata ferendis
 Stabat ibi, longâ iam propè necta fame;
Protinùs acciduo veneratur poplite Numen,
 Et verum, Hæreticus quod negat esse, probat.
Gens hominum, quorum ancipiti fundamine nutat
 Alternans nullo robore nixa fides:
Ite, nec vsquàm alios dein auscultate Magistros,
 Iàm bis veridicæ vos docuêre feræ.
Quem priùs agnôrat cæco præsepis in antro,
 Sub Panis nouit fragmine bruta pecus.

Ad CHRISTVM.

Bos cognouit possessorem suum. Isaiæ 1.

II.

Agnitus es pecudi binâ sub imagine, vel cùm
 Te paleæ, vel cùm te tegit ipsa Ceres.

XIV. IVNII.

S. BASILIVS *Cæsariensis Episc. à quo in exilium mittendo variis ostentis deterretur Valens Imperator.*

I.

POntificem exilio ter plectere Cæsar adortus;
 Augustam impliuit ter data penna manum

Ter, quater imbuitur loligine triſtis arundo,
Ter, quater in chartam pernegat ire nigror.
Et meritò, nam labe carens quæ canduit ætas,
Atris non fuerat commaculanda notis.
Quin etiam ſubito veluti percuſſa ſtupore,
Præſtare officium deſtitit ægra manus.
Sellaque diffracta eſt, fractúmque repentè tribunal,
Terrifico Iudex dùm parat ore loqui.
Regius ipſe puer, morbo graſſante per artûs,
Et dolet, & pueri viſa dolere parens.
Quem Deus abſoluit tot per miracula rerum,
Quis putet afflicti criminis eſſe reum?

D. BASILIVS *Valentem Imperatorem habet infenſum.*

II.

Sæuit inexpletùm, furiíſque infenſus iniquis,
Magne Senex, peſſum te dare Cæſar auet.
Paſtor eras, lupus ille tui prædator ouilis,
Paſtorem, vt mos eſt, oderat ille lupus.

XIV. IVNII.

S. HELISEVS *Propheta à pueris Bethelenſibus non impunè irriſus.*

I.

Hîc vbi ſublimis tollit ſua mœnia Bethel,
Subjectúmque altâ deſpicit arce ſolum:
Multus ibi laxis puer exultabat habenis,
In malè conditos libera turba ſales.
Certatim attollit ronchos, ſannáſque procaces:
Rhinoceros naſo penè minore foret.
Hàc Vates carpebat iter, cui crine caduco,
Depile reddiderat glabra ſenecta caput:
Hunc vidit petulante oculo malè garrula pubes,
Caluitiémque ſuis exprobrat vſa jocis.

Ecce tibi, furiale malum! sylvâ impiger vrsus
 Exilit, & pueros vindice dente necat.
Ergo sibi posthàc lasciua iuuenta timendas
 Non tantùm ferulas, sed putet esse feras.

XV. IVNII.

S. Vitvs *puer duodennis Martyr occubuit.*

I.

VIx annis puer addiderat duo lustra duobus,
 Præmatura Deo victima sponte cadit.
Nam tormẽta necis jam mille per horrida tractus,
 Pœnarum victus pondere Vitus obit.
Primula, Diue, tibi vix currere cœperat ætas,
 Cur tibi tam properâ mors venit acta viâ?
I tamen, I teneris gradiens super æthera plantis,
 Pro Christo est ætas qualibet apta mori.

S. Vitvs *impij parentis pius filius.*

II.

Tàm sibi dissimiles cùm sint genitórque puérque,
 Pessimus ille parens, optimus ille puer:
Debuit alterius Vitus puer esse parentis,
 Aut alius Viti debuit esse parens.

XVI. IVNII.

SS. Ivlitta *Mater & Qviricvs Filius. MM.*

I.

FIliolum complexa sinu Iulitta triennem,
 Ad madidum multâ cæde tribunal adit;
Brutaque fictilium ridens simulacra deorum
 Non timet armatas in sua fata manus.
Nec sibi, nec puero timet imperterrita mater,
 Prompta suo, pueri funere prompta mori.

Parce tamen, Lictor, nam si feriantur inermes,
Nulla tibi laus est fœmina, nulla puer.
Sunt gemini imbelles numero, sine viribus infans,
Et confecta pari debilitate parens.
Te matris sexus moueat, te infantia Nati,
Dignus adhuc infans viuere, digna parens.
Aut tibi si fixum est aliquam tamen edere cædem,
Defluat alteruter, non vtriúsque cruor.
Hæc ego; sed rigidâ stat inexorabilis irâ
Lictor, & injustâ jungit vtrúmque nece.
Et puer & genitrix comites ad sydera tendunt;
Tincta suo genitrix sanguine, lacte puer.
Ne dein Tharamides sibi vendicet vnus honorem,
Hæc socij consors mater honoris erit.
Tharamides Natum voluit mactare superstes,
Se Natúmque parens immolat ista suum.

XVI. IVNII.

S. LVDGARDIS *V. Angelis adstantibus sacro epulo reficitur.*

I.

Cœlituum tibi turba sacram, reor, inuidet escam,
Dùm jejuna tuas cernit & optat opes.
Nam cœli æthereis, quos educat aula, Ministris,
Hunc spectare datur, non datur esse cibum.

S. LVDGARDI *ante obitum oculis orbatæ Cœlites obuiàm procedunt.*

II.

Diua, tibi Alituum cœli datur obuia pubes,
E nostro peteres cùm leuis astra solo.
Nec Sponsus, nec Mater abest pulcherrima Sponsi,
Præuia turba tuæ non inhonora viæ.
Scilicet his ducibus, ne te via fallat, egebas,
Orba fores oculis, cùm, pia Virgo, tuis.

XVII. IVNII.

S. RAINERIVS C. *oculum, quo malè viderat, lacrymis excæcat.*

I.

TVrpi oculus prædator iter patefecit Amori,
Pectoris arcanas depopulatus opes.
Erronem peccasse piget, frænósque dolori
Laxat, & immodicis defluus humet aquis.
Nec priùs absistit lacrymis, quam pupula fletu
Mergitur, vt medio naufraga cymba mari.
Iure oculus periit, qui criminis extitit autor,
Pendere commissum debuit ille scelus.

Ad S. RAINERIVM *adhùc adolescentem lasciui Amoris æstu in naufragium penè abreptum.*

II.

Flecte ratem, Iuuenis, versóque relabere cursu,
Aut dabis æquoreis flebile nomen aquis.
Flecte ratem, moneo, si qua est tibi cura salutis,
Hâc periere omnes, quotquot iere, viâ.
Audiit, & ductâ tutum in nauale carinâ,
Collegit laceræ naufraga membra ratis:
Et quibus emergit scopulis, quibus enatat vndis
Dùm videt, in largas lumina soluit aquas.
At tibi, Sirenum pariter qui cautibus hæres,
Nec, quæ te alliciunt, blanda pericla fugis;
Turpiter errantem fueras quicúnque secutus,
Hunc modò plorantem sit quoque cura sequi.

XVIII. IVNII.

SS. MARCVS & MARCELLIANVS *Fratres MM. medijs in tormentis diuinas laudes concinunt.*

I.

BIs gemini duro religantur ſtipite Fratres,
Transfixi geminos ære rigente pedes.
At Chriſtum, licèt ante oculos mors funebris erret,
Libera captiuo corpore lingua canit.
Pergite diuini, pertexere carmen, olores,
Quàm ſit dulce mori, muſica veſtra probat.
Nempè alij mortem querulis ploratibus arcent,
Hanc Pugiles feſtis cantibus ambo vocant.

XVIII. IVNII.

S. OSANNA *V. cuius humeris ſuam Chriſtus crucem imponit.*

Cernua ſuppliciter dùm Numen Oſanna precatur,
Laſſus ab impoſito pondere Chriſtus adeſt.
Quadrifidam trahit ille Crucem, guttíſque cruentat
Purpureis madidam ſanguinolentus humum.
Et color, & facies triſti cecidêre puellæ,
Lapſantem vt grauido pondere vidit Herum.
Admouet illa humeros partem ſubitura laboris,
Vel totum vt ſubeat ſola ferentis onus.
Virginis auxilium non dedignatur Amantis
Sponſus, & hanc ſociâ dat quoque mole premi.
Te conſortem etiam ſecum Crucis eſſe ferendæ,
Et ſua partiri pondera Chriſtus amet.
At male ſubtraheris, ne te ſacra ſarcina lædat,
Imponenda humeris cùm venit illa tuis.

XIX. IVNII.

SS. GERVASIVS & PROTASIVS *Fratres Martyres, Parentum Martyrum filij.*

I.

MArtyr vtérq; Parẽs, Martyr fuit vtraq; Proles,
Sorte suâ Proles inclyta, sorte Parens.
Martyre digna fuit Proles vtroque Parente;
Martyre Prole fuit dignus vterque Parens,

SS. GERVASII & PROTASII *corpora longo post Martyrium tempore suaui odore indice à* B. AMBROSIO *reperta & honorificè sepulta sunt.*

II.

Funebris in longos pompa est dilata Decembres,
Vt decus exequiis majus, honórque foret:
Nam tacitâ ignoti dudùm latuistis in vrnâ,
Dùm vos Ambrosio prodat amœnus odor.
Ambrosio vos prodit odor, nam dignus odore
Ambrosio Ambrosius, qui frueretur, erat.

XIX. IVNII.

S. BONIFACIVS *Episc. & M. in æde* D. BONIFACII *cognominis sui, & M. repentino tolerandi Martyrij desiderio abripitur.*

I.

Diue, tuis resonant sacræ dùm vocibus ædes,
Nam modulis voces flectere doctus eras:
Afflatum subito melioris flaminis œstro,
Mentis in has voces te sacer ardor agit.

Nam quid ego vacuam vani gero nominis vmbrã?
Ipse feram titulum Martyris, alter erit?
Testor ego Superos, & conscia Numina testor,
Non vacuum rebus nomen, inérsque geram.
Dixit, & excrucians insontia membra, priusquàm
Ille foret Martyr, jam prope Martyr erat.
Mox caput impacto truncatus acinacis ictu,
Et voti, & compos nominis ipse sui est;
Quique priùs tulerat vacuum sine Martyre nomen,
Martyris ipsum etiam jàm tulit ille decus.

XIX. IVNII.

S. MICHELINA *cuius Flagellum, Cilicium, Zonáque ferrea in Virginis salutata templo Pisauri asseruantur.*

I.

Setarum horrentem jaculis, velut histrice, vestem,
Vncaque sanguineis cingula juncta flagris,
Militiæ monstranda sacræ Tyronibus arma,
Visere sidereæ Matris in Æde datur.
Hoc clypeo, his gladijs cœlũ Michelina triũphat,
Hoc meruit clarum fœmina Marte decus.
Hæc sint bella licet muliebribus apta lacertis,
Sunt tamen armigeris hæc magis apta viris.
Ite, Viri, & vestros vertenda decenter in vsus,
Carpite virgineo pendula tela tholo.
Credideram teneras nimio plùs esse puellas,
Ingenium video mollius esse viris.

XX. IVNII.

S. Silverius *Summus Pontifex & M. Theodora Augusta Arriana iussu in exilium pellitur.*

I.

QVid profugum terras alio sub sole jacentes,
Quærere diuerso me procul orbe jubes?
Tot [illegible]hi exilium tota est exotica tellus ;
Aduenaque in patriâ versor, & exul humo.
Astra mihi natale solum, natalis origo,
Hospes & in reliquis sum vagus erro locis.
Ergo impone tuo finem, Theodora, furori :
Nam quid in exilium, sim licèt exul, agor ?
Dixerat hæc Seniòr : tristes tamen exul in oras,
Augustæ imperio præcipientis abit.
At terris moriens dùm tendit in astra relictis,
Pulsus ab exilio patria regna petit.
Sic votis frustrata tuis, Regina, recedis,
Et vanæ in cassum detonuere minæ.
Nam licet exilium longos miniteris in annos,
Ille tenet patrium, tempus in omne, solum.

S. Silverivs *Belisario Theodora imperiis absecundante, in exilium pulsus, inter incommoda moritur.*

II.

Et patriâ caret, & vitâ ter maximus Heros.
Impia dux tantæ fœmina cladis erat.
At teipsum pudeat, belli, Belisarie, fulmen,
Crimen in hoc validas contribuisse manus.
Si scelus est proprium factis læsisse parentem,
Quantò, communem lædere, majus erit ?

XXI. IVNII.

S. ALBANVS M. *cùm duceretur ad mortem & populus impediret iter quod fiebat per pontem, ipse auidus Martyrij, sub illo per fluuium mirè sibi transitum fecit.*

I.

AD lethum gressu Albanus properabat ouanti,
Quò solet inuitis passibus ire reus.
Vndique collecti pietas animosa popelli,
Pontis inaccessum præpediebat iter.
Scilicèt Heroem cuperet subducere pœnæ,
Vel certè exiguas addere posse moras.
Ille necis cupidus, facto postquàm obice cernit
Obsesso nullam ponte patere viam;
Suppositas sibi fecit iter terrestre per vndas,
Nam refugo patuit semita scissa vado.
Solus Erythræum Moses non diuidit æquor,
Instantes fugeret dum Pharaonis equos:
Eccè iterùm Albanus, (cunctis mirabile monstrum!)
Intrepido calcat fluminis ima gradu.
Causa fugæ dispar, Moses vt funera vitet,
Per mediam Albanus funera quærit aquam.

XXI. IVNII.

B. ALOISIVS GONZAGA *Societatis* IESV, *sæculo renuntians Marchionis coronam abijcit.*

I.

His similes Lodoix icto dedit aëre voces,
Demit inornatis dùm diadema comis:
Aurum sub pedibus prudens Natura locarat,
Cur tamen elatas ambit, obitque comas?

Labere de nostris detracta corona capillis,
Suppositam pedibus te decet esse meis.
Tollendũ est super astra caput, mihi pōdere vertex,
Quò propiùs tangam sydera, liber erit.

D. ALOISIVS *lactea membra duriter cadit.*

II.

Siste, quid innocuos, Lodoïce, repercutis artus?
Nulla tuo prorsùs sanguine plaga rubet.
Qui fluit inflictis in membra tenerrima plagis,
Si cruor est, certè candicat ille cruor.
Quo rosa, quo violæ, quo saucia lilia lugent,
Illo, non alio sanguinis imbre mades.
Flosculc, formoso Veris pubescis in æuo,
Non solet è laceris floribus ire cruor.
Quæ sugenda dabat nuper tibi lilia Nutrix,
In liquidas verti non potuere rosas.
Fundere testem alij Christo potuêre cruorem,
Nil nisi lac Lodoix quod dare possit habet.

B. ALOISIVS *Coronam spineam gemmeæ præfert.*

III.

Anxius es geminas inter, Lodoice, coronas,
Istane formosum cingat, an illa caput.
Alterutram è gemina tibi fas optare coronâ:
Fulgurat hæc gemmis, lancinat ista rubis.
Dat vepres pietas, dat auorum gloria gemmas,
Subditur arbitrio gemma, veprísque tuo.
Vidit vtrámque pius postquàm Gonzaga Coronam,
Longa interjectæ non fuit hora moræ.
Quid moror? exclamat, non est dubitabile votum:
Exemplo moueor, Christe, ferórque tuo.

Nolo mihi diadema caput, mihi gemma coronet,
Cingat inexplicitas cùm tibi ſpina comas.

B. ALOISIVS *voluntariâ corporis afflictatione pudicitiæ florem tuetur.*

IV.

Floſculus eſt Lodoix, ebori qui concolor albet,
Quíque præit veſtras, lilia pura, niues.
Munit inacceſſos veprium cuſtodia flores:
Flos quoque vepriculis debuit iſte tegi.

B. ALOISIVS *ad corpuſculum macerandum calcari vtitur.*

V.

Quid rigidis juuenile latus calcaribus vrges,
In pœnas, Lodoix, ingenioſe tuas ?
Conueniunt nobis magis hæc calcaria, prompto
Quos pigra ſegnities non ſinit ire gradu.
Si nos ſæpè tuum, Lodoix, ſtimularet acumen,
Virtutis citiùs progrederemur iter.

Gemmeæ ac ſpineæ Coronæ duellum componit B. ALOISIVS.

VI.

Orta fuit geminas inter lis vna Coronas,
Ambit honoratum dùm ſibi quæque caput.
Fulgoris plùs illa gerit, plùs iſta rigoris,
Illa ſuis gemmis pugnat, & iſta rubis.
Eſſe ſuos, ait illa, ſuos, ait iſta capillos ?
Illa ſibi ſedem vendicat, iſta, ſibi.
Te penès arbitrium tanti, Lodoice, duelli,
Eſtque tibi paribus pugna diremptа ſonis.

Parcite vos inter geminæ certare Coronæ,
Tu digna electu es, tu quoque digna meo.
Vna pedes cingat, cingat simul altera crines,
Aurea cinge pedes, spinea cinge caput.

In præmaturam B. ALOISII *mortem.*

VII.

Quòd primos præreptus obis, Lodoice, sub annos,
Non est culpa quidem mortis, at error erat.
Nam simul in tenerâ mores ætate seniles
Conspicit, annosum te putat esse Senem.

B. ALOISIVS *in tabellâ depictus.*

VIII.

Viuidus artifici spirat Lodoicus in auro,
Et gerit in niueâ lilia bina manu.
Figit in oppositum, qui pendet ab arbore, Christum,
Et propè quò figit lumina, membra mouet.
Sed tenet immotum tranquilla modestia corpus,
Demissósque oculos quolibet ire vetat.
Quin etiam daret ore sonos, sed jussa silendi,
Regula, non patitur verba parata loqui.

XXII. IVNII.

S. PAVLINVS *Nolanus Episc. seipsum seruituti addicit, vt fœmina vidua filium captiuum redimat.*

I.

ORbaparēs, vel redde mihi, mea pignora, Prǽsul,
Vel mihi da pretium quo redimantur, ait.
Ingemuit nullum superesse, quod eroget, aurum,
Ingemuit vacuas Pastor habere manus.

Accipe me, mihi quando aliud nil denique restat,
Ipse tui lytrum pignoris, inquit, ero.
Non renuit læta parens, Natóque recepto,
Dura indit manibus vincula, Diue, tuis.
Miram artem, Pauline, doces; quod detur egenis,
Cùm nihil est, aliquid te dare posse probas.

S. PAVLINVS *horto excolendo captiuus præficitur.*

II.

Deposito vicina Pedo dùm rastra capessis,
Non longè à primæ munere sortis abis.
A gregis excubiis riguos translatus in hortos,
Fis, Pauline, Olitor, qui modò Pastor eras.

Mater vidua filium captiuum à PAVLINO *repetit.*

III.

Quem lupus abstulerat viduis ab ouilibus agnum,
Hunc sibi balatu postulat ægra parens.
Pastor eras, Pauline, bidens si quæritet agnum,
Quem, nisi Pastorem flagitet illa suum?

D. PAVLINVS *è Pastore Olitor.*

IV.

Clara priùs tereti lituo, virgâque verendâ,
Clarior est sumpto facta ligone manus.

PAVLINI *sors mutata.*

V.

Paulinus tonat è Cathedrâ, plebémque disertus
Erudit, & largas pectore fundit opes.
At, (Deus humanas versat dùm turbine sortes)
Qui prius Orator, factus Arator erat.

Tellus PAVLINO *arante superba.*

VI.

Terra triumphali quondam gauisa colono,
Commissas largo fœnore fudit opes.
At modò Pontificis grato proscissa bidente,
Lætiùs haud vllo tempore risit humus.

S. PAVLINVS *à genero Guntharij Vuandalorum Regis impetrat, vt Captiui Nolani ex Africâ in patriam liberi dimitterentur.*

VII.

Quæ priùs abduxit Nolâ, captiua premebat
Imposito victor corpora multa jugo.
Vidit vbi in somnis Olitorem dira minantem,
(Námque sub hoc tectus schemate Præsul erat)
Pertimuit, demptísque jubet repedare catenis,
Quotquot in angusto carcere pædor habet.
Atque ita, quod nullo posthàc reticebitur æuo,
Terruit agrestis Regia Sceptra Ligo.

Ad D. PAVLINVM.

VIII.

Tu Paulinus eras magno par omnia Paulo,
Et si non obstet syllaba, Paulus eris.

S. PAVLINVS *Musas castimoniam edocet.*

IX.

Forte vagabatur turbæ sociata sororum,
Calliope nitidas molliter vncta comas;
Námque peregrinos Helenes meretricis amictûs,
Induerat positâ virgine tota cohors.
Græcorum prædata animos, prædata Latinos,
Mille canit Veneres, mille profana Ioues.
Paulinus meliora docet, nam Mysta pudoris,
Expiat incestis spurca lycæa choris:

Pieridásque

Pieridásque monens castum spirare pudorem,
Esse procul Veneres jussit, & esse Ioues.
Protinùs ex illo sacræ, pia turba, Camœnæ
Intexunt roseâ serta pudica manu.
Nam violas inter, cathásque rosásque rubentes,
Nunc quoque virginei germina floris amant.

Ad Musas de D. PAVLINO *Parnassum consecrante.*

X.

Artifices Musæ, vestro date serta Poëtæ,
Cingite lauricomum virgine fronde caput:
Nempè suo accessu vestros beat ille recessûs,
Dùm nouus in bifidum scandit Apollo jugum.
Quē Mysta ingreditur, quē dedicat Entheus hospes,
Iure sacer post hæc tempora Pindus erit.

D. PAVLINI *fama toto orbe celebris.*

XI.

Tinnula Nola tuas noli modò tundere nolas,
Ora sacrum Mysten clariùs ære sonant.
Et satis immensum famâ vulgata per orbem,
Publica vox tanti Præsulis acta canit.

XXIII. IVNII.

S. EDILTRVDIS *Regina Anglorum post mortem diù integro corpore mansit, nullo vestigio vlceris relicto, quo viuens vexata fuerat.*

I.

CLara Caledonii Princeps moderamine Regni,
Exanimis nullâ tabe peresa man t.
Corporeque illæso vestigia nulla reliquit,
Quæ viuam informis roserat antè lues.
Obstupuit Natura parens; quæ cuncta trucidat
Dùm mortis medicas conspicit esse manûs.

L

XXIII. IVNII.

S. Maria *de* Oegnies *animarum Piacularibus flammis ardentium singularis Patrona.*

I.

Hæc est illa, suis incendia februa nimbis,
 Quæ totiès madido tacta dolore rigat.
Nam simul emenso decessit ab æthere Titan,
 Nóxque tenebroso prodit amicta peplo;
Siue genu posito Superos in vota lacessat,
 Siue toro corpus debile lassa daret:
Protinùs Vmbrarum cœtus miserabilis adstat,
 Quas iusto explorat duriter igne Deus:
Et mutis non cessat opem implorare querelis,
 Inualidas tendens, quà licet vsquè, manûs.
Illa feros lacrymis rigat auxiliaribus ignes,
 Inque inopum vacuos diuidit æra sinûs:
Et modò tortilibus cædit sua corpora loris,
 Et modò subtracto macerat ora cibo:
Et quibus illa potest miseræ succurrere turbæ,
 Omnibus his vsa est officiosa modis.
Nunc Virgo Indigetes inter super astra recessit,
 Et saturo Ambrosias pascitur ore dapes:
At queruli pergunt rogitare piamina Manes,
 Ecquis erit parilem qui ferat alter opem?

XXIV. IVNII.

S. Ioannes Baptista *recèns natus parenti Zachariæ linguæ vsuram restituit.*

I.

QVi modò perdiderat vocis malè credulus vsum
 Fantem infans ortus reddit, vt antè, patrē.
Non tangunt tamen illa meos miracula sensûs:
 An possit natâ voce silere pater?

Ad D. IOANNEM.
Ego vox clamantis in deserto. Ioan. 1.

II.

Dùm quæro quo, Diue, vocem te nomine; Vocem,
Respondêre meis, quæ colis antra, sonis.

S. IOANNES BAPTISTA *in eadem tabellâ, cum puero* IESV, *& vtriusque Matre depictus.*

III.

Christe Parentis amor, & amor Baptista Parentis,
Quos ego materno ludere cerno sinu:
Quàm benè vos tabulâ Pictor conjunxit in vnâ!
Nimirùm Verbo Vox solet ire comes.

De imagine D. IOANNIS BAPTISTAE.

IV.

Baptistam expressit rursum rediuiuus Apelles,
Artificis mirâ dexteritate manûs.
Et poterat pictura loqui, nam muta tabella,
Quâ vox clamantis pingitur, esse nequit.

Ad D. IOANNEM BAPTISTAM, *& ortu, & vitâ, & morte sibi non dissimilem.*

V.

Das oriens saltûs, tibi lethi occasio, saltus,
Quem spectante dedit Rege puella salax.
Interitus vitæ, vitæ benè conuenit ortus,
Nam quoque te saltûs incoluisse ferunt.

Parodia ex Martiali.

VI.

Hæc est illa dies, quæ magni conscia partûs,
Zachariden populis, & tibi, Elisa, dedit.
Heu ferus Herodes, nullâque inuisior vmbrâ!
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

XXIV. IVNII.

Plurimi MARTYRES *Nerone imperante, pice, sulphure, ac resinâ illiti, pro facibus nocturnis accenduntur.*

Ad Neronem.

I.

Christiadum accendis nocturna in lumina gentem,
Cujus nuda prius sulphure membra linis;
Cùm totiès fuso temerasses sanguine solem,
Ne noxæ immunis nox foret ipsa tuæ,
Tolle nouas, furiose, faces, tua crimina cerni,
Heu! nimiùm nobis hac sine luce queunt.

XXV. IVNII.

S. PROSPER *Aquitanus Rhegiensis Episcopus, virtutibus clarus.*

I.

PRosper, Aquitanæ celeberrima gloria gentis,
Eximium Mystas inter adepte decus:
Te doctum doctrina probat, pudor esse pudicum,
Téque pium pietas, te probitásque probum.
Ipsa sedet mediâ tibi fronte modestia custos,
Nè tibi quis tantas pectore tollat opes.

XXV. IVNII.

S. MAXIMVS *Taurinensis Episc. vir sui nominis.*

I.

Maxime, qui tantum nomen virtutibus imples,
Sit mensura tui nominis ampla licèt;
Maximus es, nam facta probãt, quod nomina spon-
At minimum nihilo te minùs esse putas. (dent.
Nequicquã in tenues te cogis humillimus vmbras,
Donec eris, semper, Maxime, Magnus eris.

XXVI. IVNII.

S S. IOANNES & PAVLVS *fratres Romani M M.*

I.

NON tanta Oebalios junxit concordia fratres,
Quos peperit summo candida Leda Ioui,
Romulidum incessit quantus duo pectora fratrum,
Et Fidei & veræ Relligionis amor.
Castor enim sine fratre potest, sine Castore Pollux
Viuere, & absque suo frater vterque mori :
Hi vitam, & mortem sociant, cùm viuere neuter,
Vel sine fratre velit, vel sine fratre mori.

SS. IOANNES & PAVLVS *Iuliani Apostatæ amicitiam ad quam inuitabantur, dùm recusant, securi feriuntur.*

II.

Sacrilegus vestros ambit desertor amores,
Hanc cane despuitis pejùs, & angue feram.
Arma igitur, fremit arma ferox, nec destitit antè,
Messuerit rutilus quàm pia colla calybs.
Ite alacres, Latiæque caput præbete securi,
Istis vos pigeat longiùs esse locis.
Pro patriâ pulchrum est perituram impendere vitã,
Pulchrius est ipsâ pro pietate mori.

SS. IOANNES & PAVLVS *clàm necantur à Iuliano Apostatâ, sed eorum mortem Dæmones in Arreptitiis propalant.*

III.

Transfuga castrorum Christi, vos noctis in vmbrâ,
Criminis admissi nemine teste, necat.
Clàm tamen & tacitâ cædem sub nocte peractam;
Prodidit in lucem noctis amica cohors.

XXVI. IVNII.

S. VIGILIVS *Episc. Tridentinus, & M.*
Ad ciues Tridentinos.

I.

Grex fraudum securus eas, tibi nulla luporum
Ira queat, furum nullus obesse furor.
Nam vigilans tibi Præsul adest, cui nobile nomen
Est Vigilî: Pastor non nequit esse Vigil.

S. VIGILIVS *Saturni statuam comminuit.*

II.

Aurea Saturni stabat radiantis imago,
Cui litat affuso sanguine multa cohors.
Non tulit hanc speciem generosi pectoris Heros,
Sed ruit in medios, quà via facta, popas.
Et statuam pedibúsque terens, dextrâque lacessens,
Numen in immundam fusile voluit humum.
Insuper his, falcémque senis, truncósque lacertos
Impulit in rapidam, quæ prope manat, aquam.
Æmulus iste Iouis; Saturnum degener alto
Depulerat cœlo Iuppiter, iste solo.

Post deiectam Saturni statuam ipso in loco dùm concionatur, VIGILIVS *saxis obruitur.*

III.

Saturni simulacrum ingens, quod dextra sacrarat
Impia, quod flexo poplite turba colit,
Raptum arâ, stratúmque solo, plagísque minutum,
Diruit audaci Præsulis ira manu.
Insisténsque basi statuæ, sacro Entheus æstu,
Nîl trepidante Crucis prædicat ore decus.
Quóque loco fictum, pondus damnabile, Numen
Obruerat, saxis obrutus ipse cadit.
Diue, alios meliùs lapides vertentur in vsûs,
Hæc tumulo moles seruiet apta tuo.

XXVII. IVNII.

S. LADISLAVS *Rex Hungariæ Regiam dignitatem diù abnuit.*

I.

Regalis Regale puer diadema recusat,
Et dignas tanto Principe temnit opes.
Imperiúmque sui, (quo nullum majus in orbe)
Imperio semper prætulit ille suo.

Ad D. LADISLAVM *Regis insignia recusantem.*

II.

Hungaricam refugis cur, Ladislae, coronam?
Hoc tàm grande tibi non graue pondus erit.
Mortale haudquaquàm est capitis diadema, quod (opto:
Vilior est animo fluxa corona meo.
Huic ego cœlestem antefero, ne nostra coronas
Ceruix non capiat forsitan vna duas.

Currus cui LADISLAVS *post mortem fuit impositus, nondum iugatis equis, ad Virginis Templum, vbi erat humandus, sponte properat.*

III.

Sydereo Princeps terram mutarat Olympo,
Terrigenis charum, Cœlicolisque caput:
Impositum atratæ jam corpus inane quadrigæ,
Iamque pigros tristis rheda moratur equos.
Scilicèt augustam magnæ Genitricis ad ædem,
Condendum erecto pegmate funus erat.
Sed nullis hominum, nullis adjutus equorum
Viribus, ad Templi limina currus iit.
Attonitus nouitate rei percellitur orbis,
Esseda mobilibus sponte volasse rotis.
Non tamen hæc mouêre meam spectacula mentem;
Vltrò adiit Matrem Filius iste suam.

XXVIII. IVNII.

S. LEO *Pontifex Maximus hoc nomine Secundus.*

I.

NObilior longè, (si fas mihi vera fateri)
Quàm nutrice lupâ, Roma Leone fuit.
Romulidas lupa lacte ferox enutriit olim,
Hos lacte enutrit jam meliore Leo.

Ad D. LEONEM *Musicos modulos in Templa inducentem.*

II.

Iure sacros modulos sacras inducis in Ædes,
Nam mulcere gregem carmine Pastor amat.

De D. LEONIS *nomine.*

III.

Terreat auditi nè vox te vana Leonis,
Nomina nîl solidi sola timoris habent.
Moribus est placidis, blandóque simillimus Agno,
Ast erit, irruerit si lupus, ille Leo.

XXVIII. IVNII.

S. POTAMIAENA *V. & M. cui Præses Aquila, cùm neque Fidem, neque pudorem posset, vitam eripuit.*

I.

Mille procis placuit, sed quãuls Nympha placeret,
Mille tamen Nymphæ displicuêre proci.
Quippè sui florem seruat studiosa pudoris,
Carpere lasciuo quem procus vngue parat.
Vnus at è multis, Aquilam dixêre parentes,
Ipsum Aquilæ nomen casta columba timet.

Vnus hic è multis castæ fulgore puellæ
Carpitur, & vetito turpiùs igne calet.
Mox fatale odium primo successit amori,
Nam furor hunc vrit, quem priùs vssit amor.
Dilectámque priùs tormenta per omnia Nympham,
Perque omnes reptat carnificina neces.
Sic meritâ cumulat Virgo sua lilia lauro,
Martyribus merces quæ datur esse comes.
Virgineam decorant candentia lilia dextram;
Virgineum decorat laurus honesta caput.
Altera Martyribus sunt debita serta maniplis;
Altera Virginibus debita serta choris.
At tu, Virgo, decus gemini sortita triumphi;
Virginis & sertum Martyris vna refers.

XXIX. IVNII.

S. PETRVS APOSTOLVS, *cuius vmbra ægris saluti erat.*

I.

Quos incúnque cadit, tangit quoscúnque, cupitam
Prorogat ægrotis, quam jacis, vmbra diem.
Quantus eras splendore animi, quâ luce coruscus;
Si tàm clara tui corporis vmbra fuit?

Simon Magus ex aëre à D. PETRO *deiectus.*

II.

Æquoris in fluidas cecidit puer Icarus vndas,
Icarus in solidam nunc cadit alter humum.

S. PETRVS *capite inuerso cruci affixus.*

III.

Occidit infami suspensus in arbore Christus,
Petrus in infami stipite fixus obit.
Pœna fuit compar, dispar fuit vtraque pœna,
Vtraque dissimiles Crux habuêre sitûs.

Verſus in inuerſâ moriens Petrus arbore pendet,
Rectus in erecto ſtipite Chriſtus erat.
Erigitur tranſuerſa ingens in brachia truncus:
Petre, rogas alium tu Crucis eſſe ſitum.
Se patitur rabies à ſupplice voce moueri;
Nam ſuprema pedes Crux habet, ima caput.
Quale tamen lateat decus hâc ſub imagine, quæris;
Quæque Petro hinc veniat gloria parta, rogas?
Hanc inuerte Crucem, ſuſpenſumque aſpice corpus,
Mox tibi Chriſtus erit, qui modò Petrus erat.

De diuerſo ſitu CHRISTI *&* PETRI *in Cruce morientium.*

IV.

Iret in aſtra Petrus, peteret cùm tartara Chriſtus:
Reſpicit hic cœlum, reſpicit ille ſolum.
Cur ſursùm tibi, Chriſte, caput, Petróque deorsùm?
An quod eras cœli tu caput, ille ſoli?

Ad Chriſtianos de DD. PETRO & PAVLO *morientibus.*

V.

Stare Cruces, ſtringi arma vides, ſæuire Nerones,
Hâc Petrus, hâc Paulus ſcandit in aſtra viâ.
I nunc & gratìs cœlum modò crede parari,
Cùm videas Paulos iſta, Petróſque pati.

Ad DD. PETRVM & PAVLVM *eadem die occiſos.*

VI.

POETA.

Cur Paulo, Petre, commoreris, junctúſque viciſſim
Commoreris ſocio, tu quoque, Paule, Petro.

PETRVS.

Nos amor atque fides corpus compegit in vnum,
Dùm rapit alterutrum tortor, vtrúmque rapit.

PAVLVS.

An capite exciso viuat pars vlla superstes?
Pars ego sum tantùm corporis, ille caput.

D. PETRVS *Cruci affixus*, D. PAVLVS *capite minutus*.

VII.

Paule, iaces mediâ caput obtruncatus arenâ;
Integer in duro robore Petrus obit.
Par si culpa fuit, cur plectitur impare pœnâ?
Causa fuit gemini funeris, vna Fides.
Christiadum caput alter erat, non debuit vnquàm
Vnius geminum corporis esse caput.

Ad D. PETRVM *de obitu* D. PAVLI.

VIII.

Vulneribus, Collega tuus, te, Petre, cadente,
Non magis ille suis, quàm dolet ille tuis.
Nimirùm caput huius eras, dùm vertice secto
Occidit, amisit bis caput ille suum.

XXIX. IVNII.

S. PAVLVS APOSTOLVS. *Exsecto ipsius vertice, è terrâ fons ter geminus erumpit.*

I.

Non sitit Aonios, Vatum mendacia, fontes
Musa, neque has sonipes quas fodit ales aquas.
Irroranda mihi multò melioribus vndis,
Quàm si Pegasiis labra rigentur aquis.
Paule, tuos domito dùm pandimus hoste triumphos,
Lac mihi Pierij, fluminis instar erit.
Quâque tuos signat tellus Latialis agones,
Illa meam satiet nobilis vnda sitim.
Roma mihi Parnassus erit, tantùm ille biuertex,
Hæc septemgemino colle superba tumet.

Ad D. PAVLVM *de lacte ex ipsius plaga effuso.*

II.

Vulneribus, velut vberibus, lac, Paule, dedisti:
Nec fluit, vt reliquis, te moriente, cruor.
Nimirùm fœcunda parens, & prouida nutrix
Vix bene nascentis Relligionis eras.

Ad Neronem PAVLI *& matris interfectorem.*

III.

Ense tuo cecidit mutilatus vertice Paulus,
Icta tuo pariter concidit ense parens.
Mutauêre vices ambo, nam munia matris
Paulus obit, Pauli munia mater obit.
Lac tibi debuerat mater, dedit illa cruorem,
Lac tibi quod mater non dedit, iste dedit.

Vas electionis est mihi iste. Act. 9.

IV.

Truncato mutilatus obit dum vertice Paulus,
Fluxit ab irriguo vulnere lactis ebur.
Vas erat electum, gladij vas frangitur ictu:
Debuit effracto currere vase liquor.

Ad D. PAVLVM.

V.

Diue, tibi rigidus jam colla ceciderat ensis,
Attonitum niueo canduit imbre solum.
Dic age, cur nullo rubuit tibi sanguine vulnus?
Vulnere ab immerito debet abesse rubor.

S. PAVLVS *moriens fontem elicit.*

VI.

Ne rursùm renouet funesta incendia Cæsar,
Roma, dat irriguas iam tibi Paulus aquas.

De Lacte è vulnere D. PAVLI *effuso.*

VII.

Diue, verecundus tinxit tua vulnera candor,
Vulnificus reſecat dùm tibi colla calybs.
Nec fluxit de more cruor, ſed copia lactis;
Apta hæc autori dona fuere ſuo.
Paſtor eras, Paſtor niuei quàm munera lactis
Nil magè conueniens, quod dare poſſit, habet.

Ad Neronem.

VIII.

Sanguinis exhauſtum ſatis eſt, crudelis hirudo;
Eſt ſedanda nouo flumine tanta ſitis.
Lac fluit è plagâ, fluit icto è ceſpite riuus,
Sanguineam ſatia lacte, vel amne ſitim.
Sed cùm nulla tibi porrexerit vbera mater,
Elige poſthabitis pocula lactis aquis.

De tortore D. PAVLI.

IX.

Tortorem, Auſoniâ qui Paulum obtruncat arenâ,
Iure trucem poteris dicere, iure ferum.
Sed non ſanguineum, nam qui ſine ſanguine ſæuit,
Ille mihi nunquàm ſanguinolentus erit.

D. PAVLI *mors dulcis.*

X.

Decerpit meritas Martyr ſine ſanguine lauros,
Tinctaque lacteolo rore machæra madet.
Tincta madet, non tincta rubet, nam ſectile collum
Narratur fluidas exhibuiſſe niues.
Quam tingit lactis dulciſſimus humor, amaram
Nemo mihi poſthàc dixerit eſſe necem.

D. PAVLI *Metamorphosis*.

XI.

Cùm caput abscissâ Pauli ceruice recessit,
Et stupuit tantæ pondere molis humus;
Nullus ijt, vel siquis ijt de vulnere sanguis,
Lacteus è puro vulnere sanguis ijt.
Ille liquor Paulíque necem, vitámque decebat,
Vt dicatur ouis, qui fuit ante lupus.

D. PAVLI *mors incruenta*.

XII.

Lactis vbi niueum (visu res mira!) liquorem
Truncato Pauli vertice plaga dedit;
Obstupuit suspensa cohors: Miracula! clamat,
Erubuítque suum conscia Roma nefas.
Nimirùm ferientis erat Lictoris in ore,
Qui Pauli in plagâ debuit esse rubor.

Ad Aulicos.

XIII.

Purpureâ quicúnque tumes trabeatus in aulâ,
Non hæc, crede mihi, coccina Paulus amat.
Huic ne fortè putes ostrum placuisse, colore
Purpureo moriens noluit ille tegi.

Aureum sæculum redux.

XIV.

Dùm rerum dominas regeret Saturnus habenas,
Aurea pacato sæcla fuêre solo.
Currebant niuei candentia flumina lactis,
Totaque felici rore scatebat humus.
At Paulo moriente fluens è vulnere lactis
Riuulus, irriguâ serpit in arua viâ.
Ferrea sæcla suum redeunt modò rursùs in aurum,
Cùm noua gratuiti flumina lactis eant.

Noua in cælo via Lactea.

XV.

Lactē coronatum designat in æthere callem,
Irriguâ properans Paulus in astra viâ.
Quà graditur, niueum notat ipso in tramite gyrũ:
Hinc via, credo, suum Lactea nomen habet.
Aut posthàc vehet astra super via Lactea duplex,
Vnica, post Pauli dogmata, non sat erat.

Ad Romanos.

XVI.

Dicite Romulei, præcordia ferrea, ciues,
Cur trahitis laceras, vt lupus acer, oues?
Cur miserum Pastore suo fraudatis ouile?
Vos moueat teneri cura, dolórque gregis.
Scilicèt hæc feritas, hæc inclementia, clamat
Nutricem vestri sanguinis esse lupam.

De triplici fonte exorto ad lethum
D. PAVLI.

XVII.

Dat saltu triplicem Paulus tibi triplice fontem,
Abluat vt sordes, Roma profana, tuas.

Diui PAVLI *caput recèns exsectum ter exiliit.*

XVIII.

Vix Pauli secuit collum Romana securis,
Vix tetigit nudam nobile pondus humum:
Mobilis attonito ter prosilit æquore vertex,
Rarus, qui choreas, vulnere cæsus, amet.
Vt breuiore tamen contingeret æthera calle,
Impiger his Paulus saltibus astra petit.

Tellus sub D. PAVLI *vertice sudans.*

XIX.

Dum magnæ cecidit ceruicis amabile pondus,
Debilior triplici flumine sudat humus.
Miraris sudasse graui sub pondere terram?
Terra priùs nunquàm tàm graue sensit onus.
Quantum pondus erat! quæ sustinet omnia Tellus,
Vnum vix potuit sustinuisse caput.

Tellus sub D. PAVLI *vertice lacrymans.*

XX.

Paule, tuæ nè nulla foret tibi præfica mortis,
Te triplici riuo præfica plorat humus.
Nimirùm tanto posthàc caritura Magistro,
Non potuit lacrymas non dare terra suas.

De triplici riuo scaturiente.

XXI.

Cur Paulo moriente fluit riuo impare tellus,
Nec nisi tergeminis funera flentur aquis?
Causam audi facilem, tantis mœroribus impar
Terra, negat lacrymas se dare posse pares.

D. PAVLVS *abscisso vertice cœlum subit.*

XXII.

En capitis subit astra minor fulgentia Paulus,
Nimirùm angustas nouerat esse fores.
Si tibi nota foret stellatæ angustia Portæ,
Tu minimo velles protinùs esse minor.

D. PAVLVS

D. PAVLVS *moriens de suo grege Pastor sollicitus.*

XXIII.

Cæsus inhumani Paulus mucrone Tyranni,
Non temerè affusas currere iussit aquas:
Nam fidei peperit quos ipso in funere natos,
Lustrandi sacro flumine fontis erant.
Ergò piatricis nè copia deforet vndæ,
Prouida tergeminas terra ministrat aquas.

D. PAVLI *cædes liquore gemino mirabilis.*

XXIV.

Fonte solum maduit, maduerunt vulnera lacte,
Dùm rigido Pauli cæditur ense caput.
Respuit hos latices tortor, solúmque cruorem
Martyris, impietas sanguinolenta sitit.

D. PAVLI *Epitaphium.*

XXV.

Victima Paulus erat; tortor Nero; præfica tellus;
Mors votum; testis turba; Petrusque comes.
Pœna fuit gladius; lac sanguis; lacryma riui;
Roma locus; merces sydera; causa Fides.

XXX IVNII.

S. THEOBALDVS C. *Christi causâ pauper effectus, in eremum secedit, quò parentem vtrumque pertrahit.*

I.

Ditior vt longè fieret Theobaldus, & aurum
Abijcit, & reliquas, futile pondus, opes.
Ingressúsque viam pedibus, quæsita relictis
Ocyor ad cæli sydera tendit equis.

Et nè ſolus iter peragat, pius aſſecla longæ
  Se comitem vitæ præbuit, atque viæ.
Mox refugam petiit mundi fugitiuus eremum;
  Aſtraque cùm nequeat corpore, mente colit.
Chara parens, ſeniórque Pater comitatur euntem,
  Sollicitat vitæ quos melioris amor.
Lac cœleſte dabat ſoboles vtríque parenti,
  Et puerum fieri iuuit vtrumque ſenem.
Sic matris paritérque tuæ, paritérque parentis
  Es, Theobalde, tui filius, éſque parens.



INDEX ANNI SACRI POETICI,
Diuorum ordine Alphabetico complectens Nomina, quorum in hoc Semestri canuntur Elogia.

TOMVS PRIMVS.

A

SAnctus Abachus M. 19. Ianu. 30
Abramus Eremita. 16. Mart. 115
Adelardus Abbas. 2. Ianu. 5
Adrianus M. 19. Mart. 120
Ædesius M. 8. Apr. 145
B. Ægidius S. Francisci Comes. 23. Apr. 160
Agatha V. & M. 5. Febr. 60
Agnes V. & M. 21. Ianu. 36
Agnes Politiana V. 20. Apr. 156
Agnes Præmonstratensis V. 31. Mart. 134
Albanus M. 21. Iun. 235
Albinus Episc. Andegau. 1. Mart. 94
Aldegundis V. 3. Ianu. 51
Aldricus. 3. Ianu. 8
Alexander P. m. 3. Maij. 179
Alferus Abbas Cluniac. 12. Apr. 150
Aloisius Gonzaga Soc. IESV. 21. Iunij. 235
Amandus Episc. Trajectensis. 6. Febr. 63
Andreas Corsinus. 6. Ianu. 11
Andreas de Chio C. 29. Maij. 208.
Angelus C. 5. Maij. 181
Anicetus P. M. 17. Apr. 154
Annunciatio B. MARIAE Virginis. 25. Mart. 126
Anselmus Cantuariensis Episc. 21. Apr. 157
Antoninus Episc. Florentinus. 2. Maij. 177
Antonius Abbas. 17. Ianu. 27
Antonius Episc. Constantinopolitanus. 12. Febr. 175
Antonius Patauinus C. 3. Iunij. 226
Apollonia V. & M. 29. Ianu. 68
Apparitio S. Michaëlis Archangeli. 8. Maij. 186
Archadius M. 12. Ianu. 17
Ardelio M. 14. Apr. 152
Armogastus M. 29. Mart. 131
Arnulphus Miles & M. 29. Ianu. 50
Athanasia Coniugata. 27. Febr. 91
Athanasius Episc. 2. Maij. 173
Audifax M 19 Ianu. 30
Conuersio S. Augustini Hypponensis Episc. 180
Austreberta V. 10. Febr. 74
Auxentius Abbas. 14. Febr. 79
Auxibius Soluntis Episc. 19. Febr. 85

B

S. BAbylas M. & Episc. Antiochenus. 24. Ianu. 43
Barnabas Apostolus. 11. Iun. 224
Basileus Episc. & M. 26. Apr. 164
Basilides & Socij Martyres. 12. Iunij. 225
Basiliscus M. 22. Maij. 201

N

Basilissa & Iulianus Martyres & Coniuges. 9. Ian. 15
Basilius Cæsariensis Episc. 14 Iunij. 226
Benedictus Abbas, 21. Mart. 12.
Benedictus XII. P. M. 25. Apr. 163.
Bernardinus Senensis. 20. Maij. 200.
Blandina V. & M. 2. Iunij. 214.
Blasius M. & Episc. Sebastenus. 3. Febr. 56.
Bona V. 24 Apr. 162
Bonifacius M. 14. Maij 191
Bonifacius Episc. Ferentinus. 14. Maij. 192
Bonifacius Episc. Moguntinus. 5. Iunii. 218
Bonifacius Episc. & M. 19. Iunij. 232
Bonitus Claromontanus Episc. 15. Ianu. 25
Brigitta V. 1. Febr. 55
C
S. CAlliopius M. 7. Apr. 142
Cantius, Cantianus, & Cantianilla Fratres & Martyres. 31. Maij. 210
Carolus Magnus Rex & Imperator, 22. Ianu. 40
Casimirus C. 4. Mart. 98
Catharina Sueca. 22. Marr. 123
Catharina Senensis. 29 Apr. 169
Ceadda Merciorum Episc. 2. Mart. 95
Chrysostomus. 27. Ianu. 46
Christus in vtero *Matris Virginis* conceptus. 25. Mart. 126
Circumcisio D.N.I.C. 1. Ian. 1.
Clarus Abbas. 2. Ianu. 5.
Clemens M. & Episc. Ancyranus. 23. Ianu. 40
Clotildis Francorum Regina, 3. Iunij. 216
Codratus m. 10. Mart. 108
Coleta V. 6. Mart. 102
Conon m. 5. Mart. 101
Conradus Placentinus C. 19. Febr. 85
Corona & Victor mm. 14. Maij. 192
Cuthbertus Episc. Lindisfarnensis. 20. Mart. 121
D
S. DEsiderius Viennensis in Gallia Episc. 23. Maij. 202
Didymus m. 28. Apr. 165
Domnolus Cœnomanorum Episc. 16. Maij. 195
Dorothea V & m. 6. Febr. 64
Dunstanus C. 19. Maij. 199
Dympna V. & m. 15. Maij. 194
E
S. EDeltrudis Anglorum Regina. 23. Iunij. 241
Eduardus C. Rex Angliæ. 5. Ianu. 9
Eduardus Angliæ Regis filius m. 18. Mart. 117
Eleutherius P. m. & m. 26. Maij, 204
Eliseus Propheta. 14. Iunij. 227
Emerentiana V. & m. 23. Ian. 42
Epiphania D. N. I. C. 6. Ian. 10
Epiphanius Constantiensis Episc. 12. Maij. 189

Epipodius m. 22. Apr. 158.
Equitius C. 7. Mart. 104
Erasmus Episc. & m. 2. Iunij. 214
Ericus m. 18. Maij. 197
Eucherius Aurelianensis Episc. 20. Febr. 76
Euphrasia V. 13. Mart. 112
Eutichius m. 15. Apr. 153

F

S. Faustinus & Iouita Fratres mm. 15. Febr. 80
Felicianus & Primus Fratres & Martyres. 9. Iunij 222
Felix Nolanus C. 14. Ian. 19
Felix P. m. & m. 30. Maii. 209
Flauia Domitilla V. & m. 7. Maij. 185
Francisca Romana. 9. Mart. 108
Franciscus de Paula. 2. Apr. 137
Franciscus Senensis. 30. Apr. 171
Fronto Abbas. 14. Apr. 152
Fulgentius Ruspensis Episc. 1. Ian. 2
Furseus C. 16. Ian. 26

G

S. Angulphus C. 11. Maij. 188
Genouefa V. 3. Ian. 6
Genouefa Palentina. 2. Apr. 138
Georgius m. 23. Apr. 159
Germanus Paris. Episc. 28. Maij. 207
Gertrudis V. 17. Mart. 116
Geruasius & Protasius Fratres mm. 19. Iunij. 232
Glyceria V. & m. 10. Maij. 187
Gordius m. 3. Ian. 7
Gregorius Magnus P. m. 12. Mart. 110
Gregorius Nazianzenus Episc. 9. Maij. 186
Gualterius C. 4. Iunij. 217
Guibertus C. 23. Maij 201.
Guillelmus C. 10. Febr. 70
Guillelmus Augustinianus Canonicus. 9. Apr. 142
Guntramus Francorum Rex. 28. Mart. 129

H

S. Helenus C 17. Apr. 155
Helladius Episc. Toletanus. 18. Febr. 84
Hermenegildus m. 13. Apr. 151.
Hilarius Pictauorum Episc. 13. Ian. 17
Hospitius C. 21. Maij. 200
Hugo Abbas Cluniac. 29. Apr. 168
Hyginus S. P & m. 11. Ian. 17

I

S. Iacobus Anachoreta. 28. Ian. 48
Iacobus & Philippus Apost. 1. Maij. 172
Iacobus Venetus C. 31. Maij. 210
Ignatius m. & Episc. Antiochenus. 1. Febr. 53
Inuentio S. Crucis. 3. Maij. 177
Ioachimus C. Christi Auus B. Virginis Parens. 20. Mart. 121
Ioachimus C. 16. Apr. 154
Ioanna Francica. 4. Febr. 59
Ioannes Calybita. 15. Ian. 24
Ioannes Eleemosynarius. C.

23. Ian. 42
Ioannes Euangelista feruenti oleo immersus. 6.Maij.182
Ioannes Damascenus C. ibid.
Ioannes Silentiarius C. 13. Maij. 190
Ioannes P. m & m. 27. Maij. 206
Ioannes Baptista, 24. Iunij. 243
Ioannes & P[illegible]us Fratres & mm. 26. Iunij. 245
Ioannes Chrysostomus, *Vide* Chrysostomus,
Iordanus C. 13. Febr. 79
Iosephus C. Mariæ Virginis Sponsus. 19. Mart. 118
Iosephus Poëta C.2.Apr. 139
Iosephus Hermannus. 4. Ap. 140
Iouita & Faustinus Fratres mart. 15. Febr. 80
Irene V. & m. 5. Apr. 141
Isacius C 30. Maij. 209
Isidorus Conf. 12. Mart. 110
Iuliana V. & m. 16. Febr 81
Iulianus & Basilissa Martyres & Coniuges, 9. Ian. 15
Iulita Mater & Quiricus Filius mm, 16. Iunij. 228
Iuo Adu. 19. Maij. 198
Iustinus m. 13. Apr. 150
Iutta Vidua. 5. Maij. 181

K

S. KVnegundis Augusta, 3. Mart. 77

L

S. LAdislaus Hungariæ Rex. 27. Iunij. 247
Lambertus Venciæ Episc. 26. Maij. 204
S. Latronis commemoratio. 25. Mart. 127
Launomarus Abbas. 19. Ian. 31
Laurentius Iustinianus. 8. Ian. 14
Laurentius & Pergentinus Fratres & mm. 3. Iun. 215
Lazarus C. 23. Febr. 88
Leo I. S. P. 11. Apr. 149
Leo II. P. m. 28. Iunij. 248
Leodegardus C. 18. Ian. 28
Longinus Centurio. 15. Mart. 114
Lucianus m. 7. Ian. 12
Ludgardis V. 16 Iunij. 229
Ludgerus Episc. Monasteriensis. 26. Mart. 128
Ludouicus Iapo. m. 5. Febr. 62
Lupicinus & Romanus Fratres CC. 28. Febr. 92
Lyduuina V. 14. Apr. 152

M

S. MAcharius Abbas. 3. Ian. 3
Macharius Patriarcha Antiochenus. 10. Apr. 148
Manillus m. 4. Ian. 8
Manna V. 15. Maij. 195
Marcella Vidua. 31. Ian. 52
Marcellinus & Petrus mm. 2. Iunij. 213
Marcellinus Velaunorum Episc. 7. Iun. 220
Marcellus S. P. & m. 16. Ian. 26
Marcellus m. & S. P. 26. A. 164
Marcus Arethusiorum Episc. 29. Mart. 130
Marcus Euangelista. 25. Apr. 162
Marcus & Marcellianus Fratres & mm. 18 Iun. 231
Margareta Pœnitens. 22. Febr. 87

Margareta Scotorum Reginæ. 10. Iun. 223
Maria Ægyptiaca. 9. Apr. 147
Maria de Ognies V. 23. Iun. 242
Marina V. 8. Febr. 68
Marius m. 19. Ian. 29
Martha m. 19. Ian. 30
Martianus C. 10. Ian. 16
Martina Romana V. & m. 30. Ian. 50
Martinianus C. 13. Febr. 77
Plurimi Martyres sub Nerone. 24. Iun. 244
Mathias Apostolus. 24. Febr. 89
Maurontus C. 5. Maij. 181
Maurus Abbas. 15. Ian. 24
Maurus m. & miles. 29. Ian. 49
Maximus Taurinensis Episc. 25. Iun. 244
Mechtildis V. 29. Mart. 132
Medardus Episc. Nouiomen. 8. Iun. 221
Mellitus Episc. Anglicanus. 24. Apr. 161
Menradus m. 21. Ian. 35
Michelina V. 19. Iun. 235
B. Miki. *Vide* B. Paulus.
Monica Vidua. 4. Mai. 179
Mucius m. 22. Apr. 159
Musa V. 2. Apr. 139
Mutius C. 25. Maij. 205

N

S. NIcephorus m. 16. Feb. 81
Norbertus Magdeburgensis Episcopus, & Præmonstratensis Ordinis Fundator. 6. Iun. 219

O

S. ODilo Cluniac. Abbas 1. Ian. 3
Onuphrius Eremita. 12. Iun. 225
Osanna V. 18. Iun. 231
Otho C. 23. Mart. 124

P

S. PAchomius Abbas. 14. Maij. 193
Pancratius m. 12. Mai. 189
Paphnutius m. 28. Apr. 166
Papias & Maurus mm. & milites. 29. Ian. 49
Parthenius Episc. Lampsacenus. 7. Febr. 66
Paula Romana. 26. Ian. 46
Paulinus Nolanus Episc. 22. Iun. 238
Paulus Eremitarum primus. 15. Ian. 20
Conuersio S. Pauli Apostoli. 25. Ian. 44
Paulus Apostolus. 29. Iun. 250 251.
B. Paulus Miki è Societate IESV. 5. Febr. 61
Paulus Virdunensis Episc. 8. Febr. 67
Paulus & Ioannes Fratres & mm. 26. Iun. 245
Pelagia m. 11 Mart. 109
Pergentinus & Laurentius Fratres & mm. 3. Iun. 215
Perpetuus Turonensis Episc. 8. Apr. 145
Petrus Abbas. 14. Mart. 113
Petrus Luxemburgius Cardinalis. 9. Apr. 145
Petrus m. 29. Apr. 168
Petrus Celestinus. 19. Maij. 197
Petrus m. 2. Iun. 212

Petrus Apostolus. 29. Iun. 249
Philemon m. 8. Mart. 164
Philippus Nerio C. 26. Mai. 205
Pipinus C. Dux Brabantiæ. 21. Febr. 86
Polycarpus m. & Smyrnensium Episc. 26. Ian. 45
Polyeuctus m. 13. Febr. 76
Pontius m. 19. Ian. 30
Pontius m. 14. Maij. 191
Porphyrius Gazensis Episc. 26. Febr. 90
Potamiæna V. & m. 28. Iun. 248
Primus & Felicianus Fratres mm. 9. Iun. 222
Prisca V. & m. 18. Ian. 29
Prosper Rhegiensis Episc. 25. Iun. 244
Pulchronius Virdunensis Episc. 4. Maij. 179
Purificatio B. Mariæ Virginis. 2. Febr. 56

Q

SS. Quadraginta Martyres Sebasteni. 9. Mart. 105
Quirinus Sisciæ in Illyrico Episc. & m. 4. Iun. 216

R

S. Rainerius C. 17. Iun. 239
Reginaldus C. 18. Apr. 155
Regulus Arelatensis Episc. 38. Mart. 133
Rembertus Episc. Bremensis. 4. Febr. 57
Remundus C. 7. Ian. 13
Restituta V. & m. 27. Maij. 206
Romualdus C. 7. Febr. 67
Rupertus Vangiorum Episc. 27. Mart. 129

S

S. Sabinus Episc. 17. Febr. 83
Satyrus m. 12. Ian. 17
Satyrus m. 29. Mart. 132
Scholastica V. 10. Febr. 73
Sebastianus m. 20. Ian. 32
Seuerinus Noricorum Apostolus. 8. Ian. 14
Seuerinus Abbas Agaunensis. 11. Febr. 75
Siluerius P. m. & m. 20. Iun. 234
Simeon Stylita. 5. Ian. 9
Simeon Stylites iunior. 24. Maij. 202
Simeon C. 1. Iun. 212
Simon Tridentinus puer & m. 24. Mart. 125
Sisinius m. 29. Maij. 208
Sita V. 27. Apr. 165
Soter m. 22. Apr. 159
Soteris V. & m. 10. Febr. 73
Stanislaus m. & Episc. Cracouiensis. 7. Maij. 183
Suibertus VVerdensis Episc. 1. Mart. 95
Syluester C. 9. Iun. 223

T

S. Tarasius Constantinopolitanus Episc. 25. Febr. 89
Theobaldus C. 30. Iun. 257
Theodora m. 28. Apr. 166
Theodorus Centurio & m. 7. Febr. 65
Theodosius Abbas. 11. Ian. 17
Theophilus C. 4. Febr. 58
Thomas Aquinas. 7. Mart. 102
Torpes m. 17. Maij. 196

S. VAlericus Abbas. 1. Apr. 135
Vedaftus Epifc: Atrebatenfis. 6. Febr. 63
Venantius m. 18. Maij. 197
Vernherus m. 19. Apr. 156
Victerpus Auguftæ Epifc. 8. Apr. 144
Victor & Corona mm. 14. Mart. 192
Victoria V. & m. 11. Febr. 75
Victorinus C. 8. Iun. 220
Vigetius Epifc. Tridentinus. 26. Iun. 246
Vincentius m. 22. Ian. 38
Vincentius Ferrerius. 5. Apr 141
Vincentius m. 24. Maij 202
Vincentius m. 9. Iun. 222
Vinualocus C. 3. Mart. 96
Vitus m. 15. Iun. 228
Vrbanus P. m. & m. 25. Maij. 263
Vrfmarus C. 18. Apr. 155

Z

S. ZEnobius Florentinus Epifc. 25. Maij. 203

FINIS.